6.

Last (blank) leaf pasted to back cover

[c. 1711]

See t.p.
(Joseph II 1705-11)
Charles VI, his successor,
claimant to the Spanish
throne as Charles III

SALIS ANATOMIA,

in qua

Origo, Facultates, Differentiæ & Selectus Salis

fundamentaliter & summa cum diligentia describuntur

ab

ANTONIO à MASSA,
Mediolanensi,
Sac: Cæsareæ Majestatis JOSEPHI I.
Rom: Imperatoris Augustissimi
&c. &c. &c.
Consiliario, nec non Ducatûs Silesiæ
Rei Salinariæ Administratore.

Cum Licentia Ordinarii.

Impressit Wratislaviæ Andr. Franc. Pega, Sereniss: & Reverendiss: Principis & Episcopi Typogr. Aul.

Serenissimo & Potentissimo
Principi ac Domino

CAROLO
III.

Hispaniarum & Indiarum Regi,
Duci Invictissimo;
Publicæ Tranquillitatis
Numini





Serenissime Rex
ac
Domine Domine
Clementissime.



d Pedes Sacræ Majestatis Vestræ opusculum hoc meum de Sale, devotissimè depositurus, summo me animi gaudio per-

perfusum sentio, utpote qui nec materiam nobiliorem, nec Sacræ Majestatis Vestræ Personæ applicabiliorem adinvenire facilè potuissem; quantum enim hæc Salis claritas, candor, suavitas & æstimatio, hæc merita, tanta dignitas, tot vires, virtutes, prærogativæ ac beneficia, præ cunctis aliis totius universi rebus præferentiæ habent, tantum & Sacra Regia Majestas Vestra meritò præ cæteris mortalibus sibi arrogare potest; quis enim & natalibus clarior, & candidior moribus? quis verbis suavior? quis omnium votis & cordibus æstimatior? quis majoris meriti ac dignitatis, quis Viribus, Virtutibus, Prærogativis dotatus magìs? quis demum ampliora largiri potens beneficia, quàm Sacra Regia Majestas Vestra,

quæ

quæ in tam excelſo relucens faſtigio, Auguſtiſſimæ Proſapiæ Suæ Auſtriacæ adnatas exercet Virtutes, tantâ humanitate & facilitate laudabilis, ut nemo tam humilis, cui ad ſe non pateat aditus, hanc in admittendo facilitatem, in audiendo humanitatem & patientiam, & in deferendo benignitatem continuò obſervans, ut cuilibet in tanti Regis Perſona, gravitatem humanitati, ſeveritatem ſerenitati, & Comitati mixtam admirari liceat Majeſtatem. Enimverò ii, quibus Majeſtatem Veſtram intueri fas eſt, non vulgari cultu ac veneratione dignam eſſe confiteri tenentur, ipſam enim in facie vident mentem puram, integrâque honeſtate ſplendidam, ſplendore laudabilem & ſerenam. Cunctæ quidem in Majeſta-

jeſtate Veſtra florent Virtutes, ſed magis inter eas conſpicuæ (quibus, quod Auguſtus apud Senecam ait, Principes Dii fiunt) ſunt Pietas & Juſtitia, has enim Sacra Majeſtas Veſtra Conſiliorum & Actionum ſuarum ſibi elegit Rectrices, quippe quæ puræ religionis amorem, verúmque Dei cultum, à majoribus ſuis hæreditate acceptum ſanctiſſimè tuetur ac defendit, juſtitiam, ſuum cuique tribuendo pro virili exercet; maximè verò omnium, Auſtriacis Principibus, quibus nomen Clementiſſimorum jam ante ſæcula cum veritate attributum eſt, adnata elucet Clementia, cùi Sacra Regia Majeſtas Veſtra, quà Princeps Optimus, Seipſum alligavit: parcit, cùm punire poſſet, potentiam ſuam placidè & ſalubriter exer-

cens,

cens, benevolentiâ poteſtatem, ſalute ſeveritatem, & rigorem Clementiâ mitigans. Accedit ad has Virtutes, & ea, quæ Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ divinitùs in contubernium data eſt, cæterarum Virtutum lux & anima, belli paciſque ratio, conſiliorum & negotiorum regula, Prudentia, cum ſorore ſua Vigilantia: Argus eſt Sacra Regia Majeſtas Veſtra, omnia videns, occupata ſemper, pro ſalute ſingulorum & univerſorum vigilans, ut & ſui liberentur ab oppreſſione, & alii veniant ad quietem. De Fortitudine, quam Veſtra Regia Majeſtas ab Auguſtiſſimis & ſtrenuiſſimis Progenitoribus traduxit, quid dicam, ſi non, quòd priùs Optimus, quàm Maximus eſſe ſtudeat. Invictum tamen, minimèque trepi-

dum

dum & terræ & maris infestæ tempestates, quæ pleno ùt ità dicam alveo in Majestatem Vestram irruerunt, sed summi rerum Arbitri, Consilia & arma dirigentis favore repressæ sunt, satis demonstrant. Virtutes fortuna sequitur, quam Sacra Regia Majestas Vestra à summo omnis boni fonte, juris & justitiæ opera cernente, eò consequetur certiùs, quò causa melior, triumphos cum prosperitate junget, ut quantam Majestas Vestra quà Hyspanæ Pater gentis, ex piè & justè gestis, curâque salutis publicæ capit gloriam, tantam populus subditus consequatur felicitatem; eò Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ Consiliarii ac Ministri, ipsi quoque toti Virtutibus cumulati, Consiliorum lumina, negotiorum columina, qui

Sa-

Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ Merita ac Virtutes admirantur & venerantur, prudentiâ, fide, obſequiô, ſummô denique collimant ſtudio, ut proſperum Sacra Regia Majeſtas Veſtra & fælix Regnum adipiſcatur; ſint igitur Majeſtati Veſtræ tot manus, quot Miniſtri, ut regat omnia, tot aures & oculi, quot familiares, ut ſciat omnia, tot Cuſtodes corporis, quot Cives, ut conſervet omnia; quidnî? in omnium enim ſuorum cordibus habitat, amata ab omnibus, alios liberalitate, quâ Principis dignitati nihil accommodatius, ſibi conciliat, alios humanitate allicit, cunctos pietate ac juſtitia, duabus verè Regiis Virtutibus devincit, quibus eam, meritis ſuis dignam, apud poſteros ſibi comparat gloriam, ut talem olim

lau-

laudum ſuarum auditura ſit præconem, qualem Trajani Imperatoris fœlicitas eſt nacta. Has Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ Virtutes illuſtriſſimas, quas tantò breviùs hìc tangere volui, quantò laudabiliùs eſt reverentiâ quàm facundiâ apud proximos Deo Principes profiteri, ego quoque ſummâ animi ſubmiſſione veneratus, eâ quâ par eſt reverentiâ Sacræ Regiæ Majeſtati Veſtræ opus hoc meum de Sale humillimè dedico, Omnipotentem DEUM aſſiduis imploraturus precibus, ut Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram, Dominum meum Clementiſſimum, omnis generis fælicitate cumulatum, protegat incolumen, lætum, florentem, & in multa longævum ſæcula vivere ſinat, Virtute, Fortunâ, Gloriâ eminen-

nentem ſervet, & conſervet, ut porrò Patria mea fæliciſſimis Sacræ Regiæ Majeſtatis Veſtræ auſpiciis lætior & florentior aſſurgat, quod iterum iterúmque precor & voveo

Sacræ Regiæ Majeſtatis
Veſtræ

humillimus devotiſſimus
obſequioſiſſimus

Antonius à Maſſa.



Præfatio ad Lectorem.

Plures jam ſunt anni, à quo dum opus hoc meum de Sale, quaſì primum meorum laborum fœtum, edere cogitâram, à melioribus meis amicis graviter fui reprehenſus, quòd ſurreptas à mediis negotiorum fluctibus bonas horas, malè collocarem: negotium enim non modò inutile ſed quaſi inſolens & ineptum, me ſuſcepiſſe contendebant, cùm juxta communem ſententiam nihil dici poſſit, quin priùs fuerit dictum, nihil inveniri, quod non longè ante fuerit inventum, quorum oggannitioni reverà ſuccubuiſſem, & labori iſti ſuperſediſſem, nisì hic ſpacioſiſſimus Salis Ager, ùt ſterilis, atque omninò incultus,

ab omnibus ferè Scriptoribus hactenùs prætermissus, atque tam latè patens Argumenti ratio, animo concepta me jam spontè currentem vehementiùs incitâsset; fœtum igitur jam respirantem, eâ, quâ potui, diligentiâ curavi educandum, non modò rationi sed & experimento inhians, totam ferè Europam Christianam peragravi: Hispaniam ingressus, quæ Provincia latissima est, ac pluribus, multóque præstantioribus omnis generis salinis, præ aliis abundat, intentis oculis cuncta, quæ maximè ad ipsum de Sale institutum pertinebant, summâ curâ, & diligentiâ observavi, & in librum cujusdam Viri sapientis, in quo is Salis Utilitatem summis ac permiris laudibus extulit incidens, curiositati meæ & aliorum, parcere non potui; Hoc igitur laudato à Laudatissimis Argumento, confirmata mea resolutio, calcaria currenti mihi addidit, ad construendum hoc opus, quô verò indies accrescente, more pii ac generosi Patris, qui nec sumptibus, nec laboribus, nec sibi a nnum parcit, modò filios ipse videat honestis Triumphis atque Gloriâ decoratos, filium

hunc

hunc meum vagare permisi, & Tibi benigne Lector commendo, erroribus suis parce, nec ullas pro eo cupio facias expensas. Vale.



In-

Index Capitum.

CAP:

CAP: XIII.

De Maris salsuginis vera causa.

CAP: XIV.

Quæ Loca feracitate Salis maximè redundent.

CAP: XV.

Quomodo omnes Sales, quòd Sales sint, cognoscantur, & qui præ cæteris eligendus.



CAP.



Cap. I.

Sal quid, quæ ejus facultates, ex quibus Elementis constet.

Dum ad universas Salis prærogativas enumerandas, ejúsque mirabilia explicanda, eô, quô opus est ordine, devenire satago, ipsius in primis Naturam, & præcipuas ex quibus constat qualitates, tanquam totius propositi necessarium fundamentum, breviter describam, ex re esse censeo; Est itaque Sal mistus quidam ex terra, & Hu-

more ſuccus, in ſalſum, vi Caloris ſaporem concretus, calidus facultate quidem, atque ſiccus, ſed qui reliquas qualitates primas, aut latentes, aut inertes in ſe contineat, naturæ, ac conſervationi rerum adeò utilis & neceſſarius, ut ad Animantium tum fœcunditatem, tum ſalutem, atque vitæ jucunditatem divinitùs procreatus, omninò eſſe videatur.

Verùm ut ab his quaſi Lineamentis Salis naturam ducam, eámque vivis quaſi coloribus illuſtrem, varias Salis ſpecies, quæ videlicet, & quales earum ſingulæ ſint, ad quodnam etiam ſummum Genus reducantur, primùm quidem neceſsè erit explicare.

Conſtat autem illas per quoſdam quaſi gradus, quos poſtea ſuis locis enumerabo, varietatem ſumere, quamvis omnes quidem ſub duobus Salis generibus foſſili, & aquatili prorsùs poſſint comprehendi; id quod ex ipſiusmet compoſitione, compactionéque ſatìs apertè cognoſcitur, nam quidquid eſt Salis, ex terra, & aqua, præcipuis miſtorũ par-

partibus, cœlestis vi caloris, aut concoquentis per se, aut ad concretionem aptantis coalescere, quinimò ipsum, & constipari frigore, & uti gelu concrescere experimur, itaque omnis Sal fossilis, aut humore concrescente, aut humidum terrâ exicante conficitur: Ideóque necessariò mistum illum esse consequitur, non igitur ex sola terra, aut ex sola aqua sal componitur; neque enim ex pura aqua tam facilè liquesceret, neque ex pura terra, gravis adeo emanaret; quippe salem magnam terræ portionem convehere secum, Argumento est pondus, quo ferè cunctis aliis gravissimis corporibus æquiparatur, qua de causa etiam aqua marina multò ponderosior est, fluviatili.

Quòd saporem & salsedinem habeat, id à mixtione sicci cum humido provenit: non enim posset humor per se sapere, nisì terræ alicujus seu sicci permixtione, ac caloris qualitate quadam afficeretur, quæ sapor dicitur: is autem in sale vi caloris quasi per gradus quosdam conflatur, atque etiam distinguitur,

 nam

nam ubi permixtioni exiguus calor, ísque frigore quodammodo ſuperatus accedit, acerbos, auſteros & acidos ſapores, frigidos ſcilicet & incoctos gignit: Cùm verò in mixto calor frigiditatem, & humiditas ſiccitatem moderatè ſuperat, dulcis ex hoc emergit ſapor; ſi rurſum calor magìs invaluerit ſalſus ſapor enaſcitur: quod ſi ampliùs augeatur ille, non ſolùm amarum, verùm etiam acrem efficit ſaporem: exinde ſal ſive quà calidus eſt, ſive quà terreſtris ſive ab effectis, & genere, & differentia, ſemper ſiccus deprehenditur.

Sal ab aqua etiam altera ejus materiæ parte, ut ſit ſubfrigidus accipit; ab ea enim ſuas utcunque refrigerandi vires mutuatur ex quo fit, ut in ignem injectus ei obſiſtat, cujus quidem reſiſtentiæ, alias quoque cauſas in ſequentibus explanaturus ſum: verumtamen humidis in locis repoſitus, liquatione, facilíque ſui diſſolutione, etiam invenitur perhumidus, imò ſereno adhuc cœlo, ſpontaneâ liquatione ſalis, humiditas aëris prænunciatur.

Humidus igitur ex parte ſal, etiam ex ſe calidus aëreus utcumque dici poterit; non equidem in ea ſum ſententia, in qua nonnullos eſſe video, qui Salem ex aqua & igne componi volunt, duarum enim ſibi invicem contrariarum qualitatum nulla unquam conciliatio fieri poteſt: quin etiam majorem inde levitatem Sal, in tam gravi materia contraheret, atque minores cum igne inimicitas, ſecùs ac experientia comprobat, exerceret.

Cùm itaque Sal ex terra & aqua conſtet, ex aliorum quoque elementorum primis qualitatibus participet, quarum frigida & humida ſic in eo deſident, ut ipſis vix utatur, ſiccitate verò & calore ſuas ipſe facultates & officia potiſſimùm exequatur, fit ut eum calidum & ſiccum, ac proinde ſalſum eſſe colligamus. Nam reliquæ ſecundæ facultates ſalis, ab his, calore videlicet, ac ſiccitate tanquam à primariis ſaliendi cauſis derivantur, tametſi ſalſus ſaporità ſali ineſt, ut ille quidem non quaſi extrinſecùs adveniens, ſed potiùs

quasi propria atque innata quædam salis forma sit habendus; salso enim sapore amisso non minùs Sal esse desinit, quàm Homo amisso ferè animo, aut ratione.

Ut ergo apertiùs faciliúsque ad summam rei declarandam accedam, prænôsse oportet hanc salis Vocem à nobis inter dicendum sic esse usurpandam, ut per salem, non cibum per se, sed ciborum saporem seu condimentum, quo gustatui ac palato gratiores illi fiant, intelligamus.

Cap. II.

De Salis Excellentia.

Quid Gustui præstet, & quantâ sit eidem affinitate junctus.

Nemo quidem est, qui nesciat, quàm non modò ad omnes cibos

condiendos Sal ſit neceſſarius, ſed quantâ etiam dignitate cætera condimenta omnia antecellat, ità ut Regibus etiam, & Imperatoriam poteſtatem habentibus, non immeritò comparari poſſit; nam ut de inevitabili illius neceſſitate, & admiranda utilitate dicam, ſinè Sale omnis ferè cibus eſt inſipidus, Sal ſolus & unicus in omnibus cibariis appetitum excitat, & ex eo omnis victûs fit delectatio, & ſumma hilaritas; Sal itidem omnium ſaporum Dux eſt, & Conciliator, utiliſſimus & neceſſarius naturæ miniſter;

Quod itaque in oculis viriditas, in auribus tenor, in odoratione ſuavitas ac denique mollis in tactu tepor, ſuis quæque ſenſibus comparata efficiunt convenientiæ & rationis, hoc idem Sal conditiſſimo ſapore ſuo, guſtui ſuaviſſimè præſtat; Sal enim inter condimenta quaſi medium quoddam, quo ſaporum ſibi invicem contrariorum conciliatio fieri poteſt, exiſtit; ità, ut dulcia quidem, quamvis ſubtiliùs, quamvis etiam excellentiùs, ac redun-

 dan-

dantiùs guſtum commoveant, non tam æquè grata eſſe omnibus, ac neque tam variis commiſceri Epulis ſinè faſtidio, quemadmodum ſalſa poſſint: ſolius quippe Salis eſt, cum omnibus omninò guſtibus & ſaporibus, ùt dictum eſt, convenire, atque inter hos tot etiam differentias, & condimentorum proportiones reperire.

Quot inter alios ſenſus, hos moventia ſolent inveniri, tot in guſtu vi ſalis excitamenta & illecebræ quoque reperiuntur: unde non inſulsè Plato, obſoniorum artifices, perfectos ciborum magiſtros efficì poſſe dicebat, ſi, quas Muſici inter harmonicas vocum differentias & rationes, quò auribus conſonantiores eſſent invenerunt, ſimiles illi inter ſapores arte ſuâ inquirentes, guſtui magìs proprias, utpote quæ omnium ſuaviſſimæ ſunt attingerent; neceſſe enim eſt ſenſus inter ſe omnes convenire, atque ipſamet ſaporum extrema, quantumvis inter ſe diſcrepantia, ac neque ratione ullâ cum guſtu convenientia, ſolius quidem ſalis

inter-

interventu, & conciliari demùm & gustui reddi per quam suavia: ùt hinc planè appareat, quanta sit salis Majestas, & præstantia inter sapores, quantáque ipsius cum gustu affinitas & conjunctio, exinde sal humano gustui, sensuum delicatissimo, ità sit pergratus, & quasi proprius, ut nè ex ipsius quidem usu frequentissimo cuiquam reddi soleat ingratus, id quod probabiliore adhuc ratione, Salis Excellentiam vehementer extollit.

CAP. III.

Cur Sal Auro & Gemmis sit præferendus.

Sal præsertim fossilis, natales suos ad subterraneorum metallorum genus refert; adeò quippe simul, ac secundùm metalla adnascitur, ut horum ferè nulla sinè Sale, naturâ coagmententur, sic enim dicitur, non

longè à vena Salis, metallorum venas inveniri; nulla namque metalla ſunt, quamlibet ſolida, quæ ſinè Sale concreſcant, aliáque ſubterranea, juvante vi Salis, firmiſſima, perpetua atque incorrupta evadunt.

Etiam Uniones inter Margaritas præſtantiſſimos, qui mari innaſcuntur, occaſione ſalſuginis, terreſtribus gemmis ſolidiores, & pretioſiores emergere, notum eſt: Concharum enim ſunt partus, qui mari excepti, ejúsque ſalſugine educati, dureſcunt tantopere, ut individui fiant: nam referente Plinio ſæpè fit, ut cùm Unionum matres Piſcatorum curâ ſub mari capiantur, tamen ab earum viſceribus fœtus extrahi non poſſint, priusquàm illæ in vaſis fictilibus multo ſale obruantur, eroſâ enim carne nuclei corporum, hoc eſt uniones, in ima decidunt; atque inde conſtat ſalſuginem, non ſolùm educandi atque conſolidandi uniones facultate eſſe præditam, verùm etiam in eorundem ortu, & partu, quaſi obſtetricis officium exercere.

Nam

Nam quod ad metalla attinet, cùm pervaria multipliciáque ſint horum genera & differentiæ, neque proprias, ſive peculiares ſingulorum rationes quibus à ſale ſuperantur, paucis explicare poſſim, Aurum Metallorum præſtantiſſimum atque pretioſiores gemmas, tantummodò cum ſale depugnaturas in aciem proferam; neque enim de ſumma victoriæ, atque virtutis laude deſperat, qui Ducibus ac primariis hoſtium devictis, de reliqua Vulgi cœde non curat.

Aurum & Gemmæ, quò & duriora, & diuturniora ſunt, ac varior eſt eorum uſus, eò pluris fieri, majoríque in pretio haberi ſolent, quâ causâ tum ad uſum, rerúmque copiam comparandam, tum ad perpetuò retinenda exigua in re, & temporum & Perſonarum clariſſima monimenta, & in numiſmatis aptiſſima fiunt; Verùm hæc cum & externa, & adventitia ſint, licet Vulgi opinione majoris illa quàm par eſt, æſtimentur, ſi cum intima atque innata facultate ſalis comparantur, longè profecto

fecto erunt posthabenda: qui enim aurum ob raritatem paucitatémque commendant, aut fovent avaritiam, aut fœlicissimam rerum copiam, misera cum inopia commutant, quinimò ad turpe compendium aliorum calamitate & jacturâ adhibent.

Hanc ipsam æstimationem gravioribus ex causis, ac multò etiam honestioribus, quàm aurum, adeptus est sal, constat enim apud orientales Gentes in Provincia dicta Kalikut, quæ Magno Cham est subjecta, Monetam justi probatíque ponderis ex Sale conflari, quam sic efficiunt; Salem coquunt in Lebete, post verò massulas in formellis cogunt, quas consolidatas pro moneta exponunt: id etiam faciunt Æthiopes, apud quos, proùt illi qui loca illa pervagarunt, differunt, Sal tanti habetur, ut Incolæ sale, non minùs quàm nos probatâ aureâ, vel argenteâ pecuniâ, rerum omnium mercimonia, atque ipsum etiam aurum redimant, operas & salaria solvant; ad hæc, olim apud Priscos, Latinorum Patres, stipendia, quæ Militi-

litibus, Famulis & Operariis, ab impensa servitute solvebantur, salaria dici solebant, non tantùm ab eo, quòd ità necessaria sint, ùt homini sal (velut nonnulli interpretantur) sed ab ipso nummario usu salis, qui pro justa laboris mercede, ac vel aurei stipendii loco, tum erogabatur; Siquidem simplex illa ætas, quæ mortales paucis contentos faciebat, & quæ, non cum auro sed cum sale, atque illius commutatione, eo mercimonio, ùt dixi, cætera ad Convictum necessaria, utcumque sibi, ut nos auro comparabat; nè utique salem, cujus nummarius usus longè fuit antiquior atque prior, auro posthabeamus.

Quæ etiam eximiæ, ac plus quàm aureæ & præcellentes salis virtutes, & facultates, satìs Principibus innotuerunt, ità ut Vectigalia sive Tributa Salis, eisdem fierent præ cæteris longè chariora: quinimò ab eo summo Salis censu, quo ferè Sal par est Auro, sunt, qui non abs re sentiant, omnes in universum salinas, non minùs quàm auri, argentíque & aliorum metallorum fodinas,

dinas, ad ſolos Reges, ídque Jure, pertinere; ideò ſalem inter Jura Regia, quæ Jurisperiti vocant Regalia annumerant; unde mirandum non eſt, Reges publicam Salis diſtributionem, quando id antiquo ſuo jure faciunt, inhibere, & tam exortas, quàm exorientes ubivis ſalinas, aut impedire, aut coëmere à ſubditis, aut uſu omninò interdicere.

Cujus quidem rei ſumma ratio, ac inſtitutum eſſe videtur, ut ejusmodi mercimonio ſubditi non locupletiores evadant, & Popularium animi non ad commotiones, repentinásq; conſpirationes proclinent: quâ causâ Reges hanc ipſam ſalis diſtributionem, nunquam nisì ad extremum malorum redacti Populis permittunt.

Hoc idem pertentâſſe fertur Demetrius, olim Rex Macedonum, imminente ſibi exitiali Bello ab Alexandro Rege Syriaco; cùm enim ille Judæorum Gentem multis jam annis haberet ſtipendiariam, quò eorum animos, alioqui ab Alexandro ſuſcitatos ad defectionem,

onem, arctiore vinculo retineret, inter tam multa, quæ Regiâ Magnificentiâ digna se illis elargiturum scripsit, pretia, sive Tributa Salis condonaturum promisit;

Sed hoc anteà, prout sacris etiam monumentis testatum est, ab Artaxerxe Assiriorum Rege, eidem Genti ad Salomonis Templum instaurandum, multò magnificentiùs erogatum fuisse legimus: is enim, divino actus instinctu, captivis omnibus manùmissionem, atque, ut in Patriam redirent, Urbémque & Templum sanctum denuò exædificarent, liberalissimè concessit; Atque Esdre magnum tunc illorum Sacerdotem, ut quidquid materiæ ad eam structuram opus esset, exigere possit, amplissimo donavit Diplomate: in quo cùm Auri, Argenti, Tritici, Vini, Olei, Lignorum, & aliarum rerum immensam ferè mensuram, numerum, & pondus expressisset, ut tandem Regio se ipsum splendore superaret, cùm ad salem est ventum, sal inquit absque mensura; exinde sanè celebrem vim ac æstimationem

tionem ſalis, aurum ſuperare, colligere licet.

Quod ſi poſt aurum, pretioſiores gemmas in eandem contentionem devocemus, atque vulgarem earum æſtimationem, cum ea quæ de Sale ubique eſſe ſolet conferamus, nullo profectò pretio dignæ illæ habebuntur præ ſale.

Nam primùm quidem gemmarum paucitas ſeu infrequentia, non tam eas efficit commendabiles, quàm, aut venditio, aut mercimonium, aut avaritia; nequaquam tamen cum auro comparandæ ſunt, cùm neque facilè fieri ductiles, tractaríque poſſint, nec ad per varios mortalium uſus, perinde atque aurum accommodari; nam ſi commodum & communem illarum uſum ſpectes, quid aliud quæſo in eis comparandis plus ineſt boni, quàm ſummum cum labore diſpendium in acquirendis, quàm ſolicitudo in cuſtodiendis, quàm oſtentatio in perfruendis, quàm vel dolor, vel major rei familiaris jactura in amittendis. Quas rurſum ſi ad uſus vitæ neceſſarios & ſublevandam morta-

talium egeſtatem expetamus, profectò neque in victum illæ, neque in veſtitum, aut per ſe, aut pari rerum commutatione converti poſſunt, idque ex eo planè, quòd aut illarum pauci reperiantur emptores, aut multò minori pretio, quàm fuerunt coemptæ, eas vendere oportet;

Nec verò hanc ipſam viciſſitudinem his tantummodo gemmis accidere compertum eſt, quæ nullâ famâ, neque multorum celebratâ commendatione à mercatoribus, atque id genus hominibus retinentur, ſed iis etiam, de quibus ſumma ubique terrarum pervagatur opinio, quæque apud Reges, & ſummos mundi Principes, ampliſſimam conſequutæ ſunt æſtimationem:

Hanc ipſam ſortem expertus eſt grandis ille & inſignis Regis Galliarum Carbunculus, quem Pyropum vocant, magnitudine & ſplendore incredibili, totô ferè terrarum orbe, adeò celebri famâ notus; hic olim apud Alphonſum Primum Neapolitanorum Regem tanta fuit in opinione, ut Amuratho, Principi Turcarum, Trecenta Millia aureo-

rum pro illo offerenti, quamvis in summa belli difficultate atque auri penuria fuisset Alphonsus, nequaquam vendere voluerit; postea verò Francisco Primo Gallorum Regi, pro viginti quinque millibus aureorum concessit.

Verumtamen, quoniam horum æstimatio, opinione potiùs, quàm usu: imaginatione, quàm necessitate, atque intimâ demum rei qualitate perpenditur; variis pretii, atque æstimationis vicissitudinibus, pro temporum varietate, próque emptorum facultate & arbitrio, obnoxios illos fieri necesse est.

Quæ cùm ità se habeant, non à copia, non à paucitate, aurum & Margaritæ, ùt Vulgus opinari solet, neque ab æstimatione, neque à necessitate, non denique à soliditate, majorem nancisci possunt æstimationem: in iis quippe omnibus à Sale superantur; Quid ergo in illis boni relinquitur, quo præstantissimum salem oppugnare audeant? Non equidem impugno illam, quæ in auro ùt vocant potabili, margaritísque, quà præstantissimis & maximè præsentaneis re-

remediis, latet virtutem medicinalem, mirum tamen eſt, quantùm hac in re, ſal, non modo aurum & margaritas, ſed ſe ipſum profectò ſuperet; eſt enim ſal tantus támque præcipuus & neceſſarius ad ejusmodi Auri potabilis confectionem, ut nulla ferè ſinè illo fiat auri reſolutio; etenim, ſi Philoſophis credere fas eſt, nullam auri potabilis præparationem ſive liquationem, absque Sale fieri poſſe, certum eſt ex eo, quòd omnis diſſolvendi Auri Vis, in Salibus conſiſtat, tametſi ad hanc auri liquationem perficiendam, ſocio & adminiſtro aceto Sal opus habeat: iis quippe duobus tantùm rerum domitoribus ſuccis ſolùm colliqueſcit, atque potui aptatur aurum; Unde colligitur, aureas, ſeu quantumvis licet eximias auro, & gemmis conceſſas naturæ munere facultates, præ iis, quæ in ſale nitent, longè retrò eſſe ponendas.

Ut igitur univerſa in pauca conferamus, id concludere argumento licet, quòd commendatam quidem auri paucitatem, ſuâ copiâ ſal excellat, & rurſum illius copiam, major hujus uſus ſuperet,

vicissímque hic, corruptionem à rebus tollendo, incorruptam illius soliditatem exæquet; huic adde, gemmas, cuncta etiam Metalla, aliáque subterranea, sive quæ mari, sive quæ terris innascuntur, etiam universos lapides, cum eorum innatis facultatibus & usibus, à Sale longè superari, atque ad omne Vitæ compendium, Sali demum universa posthabenda esse.

CAP. IV.

Quibus de causis Sal sit summo honore afficiendus.

Honorificus Sal, non metallicis, non inquam gemmeis duntaxat, de quibus brevi triumphum aget, contentus est, sed humanos quidem, sed civiles etiam, tanquam de Republica valdè benè meritus, promeretur honores; nam si eam, quam ex suo ipsius usu per-

pernecessario authoritatem, & apud mortales æstimationem obtinet, tótque in humanam Rempublicam ab eo exhibita munera & officia consideremus, non honoribus modò, sed summis profectò laudibus nobis erit cumulandus;

Nec videri debet absurdum, quòd humanos atque civiles honores ipsi tribuamus, nam quòd eum pro tantis ejus in humanam Rempublicam benefactis summo aliquo honore atque laude dignabimur, id nobis jam & prisca innuit ætas, & modernarum demonstrat ejus æstimatio nationum, tanto quippe in honore & pretio fuit apud Gentes, ut se jam cum mortalibus, haud ineptâ ratione atque æstimatione comparaverit. In Africa Nigritarum Gentes, ità se sali, ut quidem Servatori Numini devovent, ut ei reliquam pietatem posthabeant: non tantùm enim pretiosissima quæque terræ bona, quæ possident, sed Parentes etiam, Liberos, Uxores, se ipsos denique, suáque omnia unà cum Patria, Negotiatoribus pro sale redimendo tradunt, atque inde fit, ut maximus

Æthiopum numerus quotidie inHiſpaniam & Luſitaniam exportetur, id autem meritô & gratiâ ſalis fieri, vel ex eo liquet, quòd hæc ipſa inopia ſalis, quæ Nigritas ſuæ patriæ facit deſertores, ſalis negotiatoribus, veræ fidei Chriſti propagationem, & terrarum fœcundiſſimarum culturam, ſinè impedimento procuret, unde reliquis planè rebus Salem præferendum eſſe, nec ſinè injuria negari poteſt, cùm & ſacer ille Eccleſiaſticus, in ea, quam deſcribit neceſſariorum vitæ decade, Salem inter præcipua connumeret.

At verò Salem, totius Reipublicæ Epularis gubernacula gerere, Solium, in quo ille ornatu propè Regali menſæ præſidet, clarè oſtendit: nam ſicuti humanum cor, omnium ſanè membrorum præſtantiſſimum, non in capite, neque in pedibus, ſed in medio corporis collocatur, quò promptiùs vitales inde ſpiritus in univerſum corpus diffundi, atque ſingulis membris ex æquo diſtribui poſſint, ſic etjam Sal, obſoniorum nobiliſſimum, medio menſæ ponitur, tum ut æqua-

æquabilis fiat ejus aditus diſcumbentibus, tum præcipuè, ut ipſam, quâ pollet facultatem excitandi guſtum, ſubſequentibus impertiatur; Atque ùt præpotens Rex, non in cornu extremíſque Regni terminis, ſed interiora petens, Regiam à finibus æquè diſtantem, & Majeſtatis Solium in medium ſibi conſtituit, quò faciliùs totius regni adminiſtrationem inde gerat, juſtitiámque & beneficentiam omnibus æquè dividat, ità etiam ratione eſculentorum Præſidis ſalis, in ſtruenda menſa evenire videmus, ea enim omnia, diſpari indecorâque Salis collocatione, ob inæqualem menſæ ambitum evitare oportet, ac vel ex eo maximè, quod ob diſparem diſcumbentium conſeſſum, & alicujus diſtantiam ab ipſo Sale, quandoque hujus excipiendi causâ fiat, ut inhoneſtâ quadam brachii unà cum toto ferè corpore projectione ſupra menſam, ſal, tum loco irreverenter dimoveatur, tum ſuo etiam ſubinde exturbatus Solio, in eandem aliquando portentosè effundatur, quod à nonnullis pro infelici omine

capi, notum eſt, ità, ut quaſi quoddam nimis offenſum menſæ Numen placaturi, effuſum Salem cum veneratione colligant, cujus vitandi portenti causâ nonnulli peregregiè ſibi præcavent, proùt non Romæ modò, ſed etiam in Hiſpania conſpicitur, quibus ex uſu eſt, ſalina plana, ac lata, & quo ſtabiliora ſint, ac neque everſionibus obnoxia, quadrata illa, ſive quadrato ex pede conficere; Præterquam, quòd neque digitis, neque offâ Salem ipſi, nisì gladio è ſalino excipiant, ut antiquiſſimam, ac cum Religione conjunctam Hiſpanorum reverentiam erga Salem referant.

Verum eſt, tantus habetur reſpectus ad Salem medio menſæ locatum, ea in conviviis ſumma de ipſo ratio ac Religio, ut non minimam vim ad pacandos Epulantium animos habeat Sal præſens. Etenim ubivis inter convivas, ſemper fuit vitio datum, ſi quis vel ſobrius, vel ebrius Vinum ſuffundens in menſam, ſplendidum mapparum victorem maculavit;

Quo

Quo caſu perinde, atque effuſo humano ſanguine, olim Romanorum oculos in conviviis vehementer offendi ſolitos fuiſſe intellexi, ídque cum variis ex locis, tum maximè ex hiſtoria Quinti Sertoris Senatoris Romani, huic enim tam ſtrenuo Hiſpanorum Imperatori, Viro alioquin frugaliſſimo, apud Oſeam perinſignem Hiſpaniæ Urbem agenti, ejusmodi Vini reſperſio, maximo atque fatali in odio fuit, usque adeò, ut convivæ, qui in ejus necem conſpiraverunt, non aliam occaſionem captârint, ut illum provocarent, quàm fictâ ebrietate Phialam Vini in menſam effundendo, id enim erat ſignum conjuratis datum, quod, dum ille exprobare vellet, commotâ rixâ ab eisdem oppreſſus fuit, tam obverſo quippe, atque ſubirato animo invehi utique ſolebat in ejusmodi effundentem, & mappas maculantem.

Verùm candidus, ac pacificus menſæ deprecator Sal, medius, & ad manum inventus, protinùs impendenti malo occurret; nam ſi mox maculis inſpergatur, eas non modò obtegit, paulatimq;

exſiccato Vino diluit, verùm etiam mappis priſtino ferè reſtitutis nitori, pacatos reddit convivarum animos; Quin imò ingenium ille omninò Regium & Majeſtate plenum præ ſe fert; nam prout ſolent Reges veſtibus quandóque aut pretioſiſſimis, aut, quo appareant humaniores, nimis vulgaribus indui, mediocres verò tanquam valdè communes, ideóque Regio indignas faſtu deſpicere, ſimili ratione Sal puritatis gratiâ potiſſimùm aut aureis, aut fictilibus omninò ſalinis vult inſidere, cùm ſi vel argentea hæc ſint, vel cuprea, vel ſtannea, vel ejusce generis metallica, ea protinus, ut videre eſt, quâ valet facultate corrodit, obſcurat, atque mordicus, ſe tanquam indigna, deformat.

Eſt enim Sal menſæ Rex, naturæ Dominus, proptereà, quòd tam vigilantiſſimi Patris, quàm beneficentiſſimi Principis munere in menſa fungitur, ſiquidem eſculentorum omnium, quæ apponuntur, idem ipſe primus eſt, atque illorum anteſignanus apparet; ut ſuâ certè vi ac facultate, non modò ſaporum

porum, ſed ſalutis etiam antidotum præſeferat iis omnibus.

Ut enim Sol, Dux & moderator rerum, quæ in mundo ſunt, non ſolùm corporibus cœleſtibus ſplendorem communicat, ſed etiam peculiares eorum vires, quibus in nos illa agunt, ut meliùs atque efficaciùs imprimant, optimè diſponit & præparat, ità ſal, ut condimentorum ſuaviſſimus, eſculentis commixtus, non efficit modò ut hæc guſtui benè ſapiant, verùm etiam nutriendi, atque reficiendi facultates, quæ ipſimet inſunt, eſculentis communicando, facit, ut illa ſtomacho eò magìs atque univerſo corpori conducant.

Idem ipſe Sal, eſt quidam quasì menſæ Lucifer & Heſperus; ut enim is Solem & ſtellas ante & poſt graditur, Sole interim omnia colluſtrante, ità unus atque idem Sal, & obſoniorum primus apponitur, & ultimus à menſa removetur, & intermixtas intereà epulas, continuô ſapore ſuô, quaſi ſplendore perfundit.

Denique, ſi parva licet componere

ma-

magnis: neque major Imperii ratio, neque augustior aut religiosior obsequii & honoris vis Regibus tribui solet à subditis, quam mortales Sali debent.

Cap. V.

De Salis Viribus.

Sal, plusquam ferrum, potestatem suam virésque intendere solet.

Tradunt enim Hannibalem, summum Cartaginensium Ducem, cùm ex Hispania innumerum penè Exercitum in Italiam duceret, ut ventum est ad Alpes, aliquot ibi juga montium offendisse insuperabilia transitu, inviáque, ac nè uni quidem militi, nedum tanto pervia exercitui; sed hæc cùm nec ferro perfringere, nec arte aliquâ aperire posset, sale demum & aceto, saxa ac rupes excauasse, atque in hunc modum per iter sale apertum, universas copias transmisisse comperimus; quam tanti Ducis gloriam, at-

atque perpetuum ejus tranſitûs monimentum, litteris in ipſis corticibus inciderunt.

Quam certè tantam, támque immanem vim, ſali & aceto ineſſe ad perrumpenda ſaxa, confirmata experimento ratio declarat: nam terrâ aſpersâ aceto, ignea vis ſalis accenditur, atque in reſiſtentem quamque materiam exardeſcit, ac non in ſaxa modò, ſed in ipſum ignem usque adeò inſurgit, atque inhorreſcit ille, ut in piram injectus continuo crepitu ſubſiliens, gladiatoris more, quaſi ferro, flammam hinc inde diſſecare, háncque donec ſufficit impetere non ceſſet; quò fit, ut ardenti atque exundanti flammis ſuperiore camino, nullo neque promptiore, neque commodiore remedio, ad illius incendia compeſcenda, quàm Sale, occuratur.

Quæ tanta vis Salis adversùs ignem, quòd nempe perexiguus ille in Sale incluſus impetus, ſive calor is ſit, ſive humor, taliter accenſum in ſummo camino ignem reſtinguat, & coërceat, non in admirationem modò, verùm in ulterio-

rem

rem etiam nos allicit ejus rei causæ indagationem: Quam si penitiùs scrutemur, nulla alia profectò causa est, quàm quòd continuâ penetrantíque repugnantis salis agitatione & succussu, cum dimissa, *dispartitáque inferiore flamma, tum ab hac, quasi à suo fomento, aversa superiore, fiat, ut percussus subinde aër ignitus ac spirituosus, præ angustia loci, magno quodam impetu in sublime feratur, ex quo, fuligine, cui flamma inhærebat, à summo excussâ camino; perinde ac convulso fundamento, sequitur, ut auctore sale prorsùs corruat atque restinguatur incendium, & sic sal præpotens, Regio propè More in effrænem, ac superbientem ignem excandescens, illum suo tandem Imperio subigit.

Sunt etiam aliæ quædam salis species, illæ vulgò Salis nitri nomine insigniuntur, atque salis acrimoniam in summo gradu referunt; invenitur etiam aphonitrum, quod terræ quasi spuma quædam & sudor est, atque Nitri & Salis particeps, quæ species ad hanc classem redigendæ sunt, Salis enim naturam,

ejus-

ejúsque conficiendi modum ſequuntur, & eodem modo inveniuntur, præſertim in locis ſalſuginoſis, utì etiam, id quod arte fit, eô planè ordine, quò Sal fieri ſolet, conficitur; Aquâ nempe ſalinis infusâ, atque exſiccatâ: Salis quoque quandam præpotentem vim igneam & pungentem acrimoniam, non tamen ſaporis ſuavitatem, atque benigniſſimas illas facultates in ſe continet; quamquam in aliis locis Nitro redundantibus, ùt Ægyptii, ſuô Nitrô raphanos aſpergunt, non aliter atque nos ſale ad comedendum; unde jure quidem ipſum inter ſalis ſpecies adnumerari poteſt, cùm ſal earundem virium, atque ejusdem ferè eſſe naturæ cum Sale nitro, inveniatur: de quo illud profectò admirabile eſt, quod in locis frigidis atque humidis enatum, igneæ tamen naturæ ſit, nam facultate calidum ac ſiccum eſt omninò; demum id longè mirabilius, quòd immerſum aquis, cùm tandem liquefiat, antequam tamen igneus illius vigor extinguatur ac deficiat, tantis agat viribus, ſéque adeò generosè defendat,

fendat, quò minùs nisì à frigidiſſima aqua, tanquam à provocato à ſe hoſte pervincatur, præſertim ſi æquô inter ſe Marte pugnetur;

Verùm ut clariùs id patefiat, perpulchrum quoddam certamen inſtituendum eſt inter ipſum Sal nitrum & ejus competricem aquam, ſi modo in vas aliquod, tanquam in arenam ambo deſcendant, atque æqualibus armis, ſuis videlicet privatis qualitatibus præmuniti, ſervatâque proportione commiſceantur, jámque citatâ continuatâque agitatione, quaſi ad pugnam provocati manus conferant, jucundo ſpectaculo Salem nitrum palmam de aqua referre videbimus, qua ex pugna ſatìs nobis victoriæ loco cedet, cauſas aperuiſſe, cur aqua, licet tepida, Sali nitro permixta, frigidiſſima, ac propè glacialis evadat.

Hanc etiam refrigerandi vim, quamquam non ità vehementem atque in ſale nitro, at multò diuturniorem ac conſtantiorem in Sale, obſervantes figuli, maſſam ex qua fingunt vaſa ad refrigerandum potulenta, Sale congruô conſper-

ſpergunt & ſubigunt, propterea quòd ſal argillam, perinde ùt calx arenam aſtringat, maſſámque meliùs conglutinet ad perennem vaſorum conſervationem, ac nè erucis ſcateant, conſtipet, fitque inde, ut aqua, atque alii etiam liquores vaſi incluſi, ſimili vi ſalis ſali nitreâ frigeſcant.

Non diſſimili adhuc experimento ſalis facultatem ad refrigerandum colligunt mediterranei, in locis campeſtribus ſiti, quibus præſertim Solum ſiccum eſt, neque in eo humor, nisì terrâ altiſſimè defoſsâ invenitur; quamobrem æſtate maximè, cum nullis interdiu marinis auris refrigerentur, ſed exæſtuante Sole, ſiti, & calore graventur, puteos ſibi effodiunt, quos vocant ſiccos, in quibus vaſa reponunt ad refrigeranda potulenta, quæ, ut frigidiora fiant, ſalem, præcipuè foſſilem, in fundo putei, vaſis ſubſternunt, cujusmodi refrigerandi uſus frequens eſt; ex quibus apparet eandem refrigerandi vim & facultatem, quanquam non æquè vehementem ac repentinam Sali, tam benè ſicuti ſali ni-

 tro

tro inesse, ac etiam ubi salis nitri nulla est copia, sale illius loco aquæ permisto agitatóque effici refrigerationem.

Deinde post sal nitrum non multum absimile ipsi sali est sulphur; neque equidem insulsè tam nominis quàm rei essentiam explicant ii, qui sulphur quasi salis furfur seu recrementum dictum putant, ídque ex eo maximè, quòd igneas & severissimas salis vires, in igneis & bituminosis terræ fodinis confectum, atque ex salsa materia vi ignis excretum, in summo gradu retineat. Etenim ex salso succo illud elici, atque ex salsis maris exhalationibus perpetuò generari, tametsi saporem salsum in concertione amiserit, magno argumento est, quòd in locis maritimis abundè nascitur, parum tamen in mediterraneis; nam in illis præcipuè Insulis oritur, quæ Cavernosæ sunt, atque ità sub his cavernis per flabiles, ùt & ventorum flatibus, & impulsionibus undarum maris pateant, quæque perpetuis etiam ac sempiternis ignibus torrentur, ùt sunt in Sicilia mons Ætna & Vesuvius, & puteoli agri in

Nea-

Neapolitano Regno, quæ cavernæ, cùm ejusmodi ſint, ſulphure mirum in modum illas abundare videmus

At verò, quòd à ſalſa maris aqua perennis materia ſuggeratur, tum ad ſulphur generandum, tum ad alendum ignem, qui pro perpetuo eſt inſtrumento ad illud præparandum, quanquam nonnullis diverſæ ſunt cauſæ, una tamen ſic conjecturando præcipua exiſtimanda eſt: quòd aquarum ille maximus concurſus, atque terribilis intuentium oculis maris pugna, qualis in freto ſiculo, à ſcilla in carybdim, concurrentibus tam ventis, quàm terrarum hinc inde promontoriis conſpicitur, cùm humorem hunc ad ardendum aptiorem, tum ad penetrandum ſubtiliorem reddat, atque ſic, undarum inter ſeſe concurſantium, ac dimicantium impetu, fit, ut ſecum raptum ventorum ſpiritum, quo exagitantur, eò deducant, eúmque in profundum trahentes, tam diu ibi ſuffocatum retineant, donec humefactus ipſe ac incraſſatus, cum oleoſa ſalſugine, per cavernoſa illa terræ ſpiramenta diffunda-

datur, ut cum primùm ad intima bituminis, quo abundant loca, quódque conflagrationi etiam aptissimum est, pervenerit, perpetuis illis ignibus, perpetuam secum ardendi materiam convehat, ibíque tam diu delitescat, donec exeundi nanciscatur occasionem; neque enim in tam angustis terminis aliter durare tot sæculis tantus ignis potuisset, quantus in Vesuvio & Ætna montibus, aliísque sulphureis ejusmodi locis apparet, nisì talibus maris fomentis & incrementis fuisset sustentatus, juxta proverbium: *Marina non infundenda flammis.*

Hujus itáque ignis fomentum & accessionem ex Sale, utpote mari provenire, permagno est argumento, flammarum in hisce sulphureis montibus tum fervor, tum accretio, & diminutio, quòd hæc proximi maris variam undarum agitationem sequi, & imitari videantur; Proùt etiam vicinorum agrorum tanta támque continuata fertilitas, hoc ipsum apertè indicat, proinde non aliunde, quàm ex hujusmodi calore, seu potiùs humore calido, quasì vitâ, vegetan-

getantia quæque foveri augeríque censemus; inde quippe credere par est, Puteolano agro propè Neapolim, qui sulphureis hisce hiatibus atque suffitibus plenus est, tantam támque excellentem inesse aëris puritatem, salubritatem, & incredibilem illam ubertatem, quâ dictum agrum semper perfrui videmus. Nec dissimilis ab ea est Siculi agri fertilitas, cujus vicini montis Ætnæi calor utì anima, in universarum stirpium vitam ac fœcunditatem erumpit.

Sed ut ad proximas causas sulphuris revertamur, sciendum est, quòd, cùm salsum ejusmodi atque oleosum, ùt dictum est, maris alimentum igni occurrat, ac se se intus cum bituminosa terræ materia commisceat, ignis humorem ibidem absumat; inde sulphur tanquam terreus quidam ardor, ùt furfur sive ignitum quoddam salis atque bituminis recrementum excernitur, in quo tanta inest ignea vis, & natura, ut fulgura fulmináque cœli, tam ardore quàm odore omnino referre videatur; nam horribile dictu, quantam portentosis Ictibus sul-

phur ſali nitro permixtum, exerat vim ac potentiam ſuam, ſatis probatam, ejus enim ſuccenſione, tum altiſſimas turres, tum munitiſſima & fortiſſima ſæpè mœnia, ſummas quidem arces, miſerabili ac horrendâ ruinâ dirui, atque ſolo æquari videmus, (mortalibus heu heu ità prompta vitæ inſtrumenta ad pacificam ſalutem, ſicuti ad truculentiſſimum ſui exitium & interitum excogitantibus.)

Quanquam hæc ipſa indomita ac nulli cedens tormentorum acies, potentiſſimo Sale, ſi quo alio medio retundi, atque edomari poteſt; etenim Plinius, proùt emendatiores habent codices, Salem & Nitrum Sulphuri concoctum, in lapidem converti aſſerit, ex quo hunc Lytographi usque adeò coagmentari, atque indurari colligunt, ut, ſi arx aliqua eo muniretur, nullô propè tormentorum genere eam conquaſſari poſſe affirment, ex duritie & ex peculiari, aut ab exſuperante vi ſalis: ídque ex eo probant, quòd Sal ignitas tormentorum ſphæras ſuâ validâ firmitate ſuſtinens, aut eludat aut repercutiat, propellátque;

Quam-

Quamobrem vera certè eſt ac conſtans experimenti fama, in quibusdam Regionibus, quæ ſaxeo ejusmodi ſale redundant, ſúntque ardori ſolis adeò expoſitæ, ut in illis, cùm nullæ ferè ſint humidæ exhalationes, Sal optimè concreſcat, ac neque liqueſcere ſoleat, domos atque muros lapideo ex ſale conſtrui fortiſſimos, ac contra omnem cœli injuriam, & externam quamcunque vim, ſolidos adamantinósque evadere, quales in Arabia ac in multis aliis nuper inventis locis, ferunt reperiri.

Jam verò ſubjectis hactenus per Salem & Elementis & eorum mixtis, atque tam artis, quàm naturæ machinis, quibus pro triumpho Salis ſupra omnia ſtabiliendo uſi ſumus; nunc rurſum vindices ejus vires, in alios multò duriores montes, longéque elatiores vertices convertamus; quæ planè vindex atque ſeveriſſima vis Salis, quò longiore uſu, atque graviore legum omnium præſcripto, in ultimum malorum exemplum adhiberi conſuevit, eò clariùs demonſtrat id non aliunde, quàm ab antiquiſſi-

 mis

mis oraculis, atque divino ex instituto emanâsse; nam ad inferendam vindictam in ejusmodi Tyrannos, adhibitas fuisse Salis vires, apud Israëlitas passim sacra Monimenta enarrant, siquidem Abimelech, Sychimorum in Palestina Princeps, vindice vi salis usus est in populum rebellantem, dum expugnatâ urbe Sychimâ, ac universis civibus trucidatis, eandem evertit funditùs, & Salem in ea dispersit.

Etiam gravissima sed promerita pœna, quâ Uxor Loth, Viri justi, à divina ira punita atque vindicante Sale digno affecta supplicio, protinùs in salis statuam conversa fuit, fortissimum salem, non solùm in communem utilitatem salutarémque bonorum omnium vitam & alimentum, verùm etiam in pessimorum vindicationem à DEO fuisse mortalibus concessum, apertè demonstrat.

Cap. VI.

De Salis Virtutibus.

Sal qualitate ſuâ habet in calore ſuo incluſum, tam cœleſtem, quàm terreſtrem hunc ignem, quo utimur, ideóque nec inſulsè dicitur:

Igneus eſt Salis Vigor & cœleſtis Origo.

Ut ſi benigniſſimam ejus naturam penitiùs inſpiciamus, non ſolùm ignem quô utimur fortiorem fieri, ſed innatum quidem calorem, quô vivimus, foveri, augeríque à Sale poſſe, experimento diſcamus; Sal enim naturâ calidus, innato calori cum alimentis adjunctus, ſummo ſe huic offert adjumento ad ea naturæ officia in corporibus exequenda, quæ vitæ ac ſaluti animantium conſervandæ ſunt neceſſaria, cùm & perficiendæ concoctioni, quæ in ventriculo, & ſingulis corporis membris fit, valdè conducat, & celeriori inde excrementorum expulſioni proſit quàm maximè, in his quippe duobus, tota ferè

benè ſe habentis corporis, & temperaturæ ratio atque habitudo conſiſtit;

Quinimò frequenter fit, ut humores, quos præ nimiâ eorundem cruditate repugnantes, & quaſi obſtinatos, Sal nequit intùs evincere, foras violenter expellat, unde conſequenter eâ, quæ in Puſtulas, ſeu quodvis aliud Scabiei genus tranſit eruptione, pravos humores ſecum pertrahens, quodvis minùs ſalubre à corpore expellit. Qua in re Sal calorem noſtrum juvare, & redundantes humores reprimere, & perfectam ſanitatem, quamvis lento gradu nobis inſinuare contendit; Eo enim calore præditus eſt, qui ad percoquendum cruda ſufficit, & alimenta ingeſta vi fermentativâ coctioni ventriculi conſentanea reddit; ipſa quippe ſalſa, parvo vel minimo calore indigere ad coquendum, Proverbio oſtenditur: *Salſamentum vel igne viſô coctum cenſeri*, unde, qui nauticam aut ruſticanam vitam agunt, ſummâ caloris copiâ atque ventriculi firmitate præditos eſſe videmus; idque tam ex ſalſorum uſu, quàm ab exercitatione

pro-

provenire, nemo eſt qui inficias eat, quoniam tam ſalſis crudis, quàm igne coctis carnibus atque piſcibus veſcuntur.

Virtuoſiſſimus Sal, in eos qui laboribus inſudant, ſe ſe multò beneficentiorem & ſalubriorem, quàm in molles & otioſos exhibet; Nam ſalſa non minùs ad ſalutem juvant, quàm ad bellum gerendum, & ſuſtinendos agri labores, aliáque præclara vitæ munia obeunda: qua de cauſa ad ſuſtentandos exercitus, rémque frumentariam, ſalſorum commeatus majori copiâ quàm aliorum cibariorum parantur, quòd nempe diutiùs conſerventur incorrupta; quinimò hodie in confiniis Lituaniæ, Milites, quos vulgo vocant Coſacos, qui ab excurſione hoſtium & latrociniis vivunt, & prædæ inhiantes pluribus menſibus in ſylvis collocantur, non frumento, non alio quovis comeatu ſe ſe provident, præterquam ſacculo ſalis, ex quo abundè ſuſtentantur, indéque militum temperatura ac robur eo alimento firmiora fiunt, miniméque belli laboribus ſuccumbunt;

Quam

Quam ob causam nautis, labóres plùs quàm Herculeos dies noctésque sustinentibus, contra vehementissimum duorum Elementorum impetum, familiarissimus ac valdè necessarius est salsorum usus; nam eo quidem alimenti robore illi, non modò continuos labores & vigilias perferrę, sed longiùs etiam ac diuturniùs Navigantes in constanti sanitate conservari possunt, corporibus nautarum salis ope comeatibúsque salvis.

Hæc tam diuturna, & admirabilis salis virtus & facultas ad conservandum, non in compositis corporibus solummodò, verùm etiam in liquoribus, præsertim pinguibus experta est; quid enim recenti lacte suavius, quid nè dulcius, atque salubrius, nonne protinùs id putrefieri experimur? quod ipsum si sufficienti tamen sale adhibito condiatur, an non diutissimè manet incorruptum? per salem enim butyrum, alimentorum valdè pingue, per annos multos conservari, caseum verò sęnescere res manifesta est; tradunt quippe hystoriographi

Zo-

Zoroastem, referente Plinio in desertis caseo vixisse annis viginti, ità temperato, ut vetustatem non sentiret, & inveniri caseos ejusmodi apud aquilonares, quibus ob redundantiam pecorini lactis, calore solis atque frigore aëris ibi optimè concrescentis, & butyri suavissimi, & casei etiam vetustissimi frequentissimus est usus, res est nullius dubii;

Demum ova gallinacea alimentorum temperatissima sunt, verumtamen in conservandis illis, & à corruptione tuendis mira deprehenditur virtus & natura salis, quâ ova ad multos menses incorrupta manere, terrâ maríque experieris; quamobrem tum ab ea quæ fit per salem sui conservatione, tum etiam ab eorundem sale consperforum gratissima suavissimáque sorbitione, ostenditur, magnam inter salem & ovum necessitudinem intercedere.

Postulat etiam Sal non solum modum, sed tempus ídque valdè opportunum ad probè congruéque saliendum; maximè verò ad carnium conditurам in olla, siquidem non parvi refert, quotâ

horâ coquus quotóque temporis articulo, ad carnium condimentum ſit Salem immiſſurus, eſt enim experimento valdè comprobatum, ad primum ollæ fervorem miſſo ſale, carnes multò conditiores fieri.

Quòd ſi contigerit ejusmodi commeatus ùt carnes, piſcésque muriatos plùs æquo ac nimìs ſalſos eſſe, ideóque guſtum offendere, facilè jam eſt ipſiusmet ſalis auxilio eos à nimia ſalſugine expurgare, aut aquâ marinâ, aut ubi hujus nulla eſt copia adhibito ſale multo lebeti, ubi excoquuntur nimis ſalſa, ſic enim compertum eſt, majori celeritate ab eis excerni ſalſuginem, quam, ſi dulci aquâ ſolummodò illa excoquerentur, quòd ſcilicet rebus affixus ſal, vi caloris facilè attrahatur, & ab ipſismet rebus ſeparetur. Quæ quidem vitæ compendia neque faciliùs, neque minori jacturâ comparari poſſunt, quàm ſalſorum copiâ; nullam enim rerum egeſtatem habent, qui ſalſis affluunt.

Cap. VII.

De Salis Beneficiis.

Absolutis his, quæ de Salis Virtutibus, quas in condiendis ac conservandis esculentis necessarias esse docui, dicere mihi proposueram, modò de Salis beneficiis restat dicendum. Quid enim Sale salubrius, quídque frugalius, atque in summo vitæ discrimine commodius, quàm quod ingeniosa necessitas, arduum aliquod desertum atque longissimum iter subituris, nobis pro tutissimo obtulit Viatico? quale utique expertos fuisse accepi nonnullos Viros Christianos, qui ab immanissimo Turcarum Imperatore apud Bisanzium Captivi tenebantur, séque à tanto servitutis malo impunè eripuerunt; nam qui se inde Pannoniam versus in fugam conjiciunt, atque ob vitanda novæ servitutis discrimina, per vastas solitudines, & loca avia, omníque prorsùs occursatione, & humanâ escâ carentia

abire coguntur, nullo alio commeatu, se, quàm sale præmuniunt; quem, ùt rerum omnium condimentum, & quasi antidotum secum ipsi portant, ut in fame quidem, aut glandibus, aut herbis, sive harum radicibus, tametsi noxiis, commixto illo tutiùs vesci possint; sic enim crudum atque insuetum stomacho cibum sale conspergentes, tum à cruditate purgant, tum gustatui familiarem atque nutritioni aptum & congruentem reddunt;

Nam ubi Sal adest, neque igni, neque aquæ nobis omninò interdici potest, in quod enim Elementum faciliùs quàm in aquam sal convertitur? In Salino quidem liquescens, futuram inde pluviam atque tempestatem prænuntiat; quia nihil aliud est Sal quàm aqua: nam hæc, si marina fuerit, tametsi gustui, & stomacho horrida, miniméque potabilis at illam sive igne sive medicamentis ex salsugine expurgari elixaríque, & pro magno navigantium commodo, ex salsa in dulcem ac potabilem converti posse didici.

Ete-

Etenim paucis ab hinc annis, necessitate & industriâ magistrâ, homines marinam aquam per elixationem, aut etiam destillationem, in dulcem potúique gratam transmutare didicerunt, ídque maximè apud Meningen, Insulam Africæ, Sirtibus proximam, ubi Hispanorum Exercitus terrâ maríque à Turcis obsessus, atque extremâ aquæ penuriâ laborans, hâc unâ elixatione quatuor mensibus fuit sustentatus. Quin & eandem marinam medicamentis dulcescere, sive salsugine exui Venetiis repertum fuisse intellexi, Auctore Hebræo quodam, quem Senatus amplissimis muneribus donavit, tum ob communicatam sibi artem, tum maximè quòd idem auctor, nulli ultrà mortalium se illam communicaturum promiserit, quod Senatus plurimi faciens, atque magno usui aliquando sibi fore credens, tanquam arcanum quoddam non divulgandum, sed sibi soli retinendum statuit;

Imò verò Salem uberrimum quendam naturæ fontem esse inveni, unde mortales cæteráque Animantia abundè

potu cibóque magno cum vitæ compendio refici possint; quæ tametsi naturæ consentanea, satísque manifesta sint, non tamen abs re erit tanti beneficii causas explanare, eásque nonnullis exemplis atque experimentis confirmatas, in medium adducere; nam quod ad potum, atque reprimendam Sale sitim attinet, id moris fuisse apud priscos notum est, ut miseris ex damnatione, violentam mortem subituris, nè supplicii metu ac horrore suis animi viribus destituerentur, fatali tunc eos siti torquente, refrigerii gratiâ, Sal cum aceto propinari juberent; ad hæc experimento compertum est in calidissimis Regionibus, ob nimium Solis æstum siti vehementer affectos, Sale sub lingua continentes, triduo, & eo plus, non sitim modò, sed & integram famem depulisse, utpote vi Salis à cerebro & à ventriculo salivam attrahente linguâ, ac respiratum aërem subinde humidum reddente:

Cujus experimenti præclarum exemplum subjiciam, evenisse superioribus

annis, quô tempore Cæſar Carolus, hujus Nominis Quintus, maximum ac potentiſſimum exercitum ab Hiſpania in Africam trajecit, ut Funetum Urbem florentiſſimam, olim ex ruinis magnæ Carthaginis à Romanis erectam, à truculentiſſimo Chriſtiani nominis hoſte Ariadene Mytileneo (Barbaroſſa, à noſtris appellato) occupatam eriperet, quippe Sole tunc in Leone exiſtente ac ad ſolſtitialem orbem, cui ferè urbs illa ſubeſt, accedente, univerſis copiis ſalus & læta Cæſaris Victoria, uno die per Salem obtigit; nam cùm Cæſar, debellatis primùm hoſtium præſidiis, Urbem obſeſſurus accederet, Cæſariani ardore ſolis, atque infeſtiſſimo pulvere, tum maximè aquæ penuriâ, graviùs ardentiúsque ſitire cœperunt, quo animadverſo Cæſar, Salem omnibus diſtribuere, ac ſingula cuique grana Salis linguæ ſupponere juſſit, quod Milites facientes, non ſolum ſitim famémque die integro repreſsêre. Verùm multò etiam animoſiores eo effecti, congiarium hoſtem cum innumerabilibus copiis occurren-

 tem

tem fugârunt, ſimúlque è veſtigio Urbem Victores ac ovantes intrârunt.

Sed neque minori hilaritate quàm Vinum, humana corda Sal recreat, delectat, & juvat; eſt enim naturæ valdè conſentaneum, ut per quem eſculenta & guſtui, & ſtomacho grata fiunt, per eum & potulenta ſimilia evadant. Eſt etiam cordi gratiſſimus, nam juxta Plinii aliorúmque ſententiam adversùs ſerpentum morſus, qui rectà Cor petunt, in majore vitæ diſcrimine ac periculo, nullum promptius reperitur ſubſidium, quàm Sal. Salis quoque vis longè præſtabilior eſt quàm Vini vis & natura; Vinum enim facultate ſuâ aut palato jucunditatem, aut ſtomacho vigorem, aut cordi hilaritatem afferre poteſt, hoc equidem & Sal facit, & præſtantiùs facit; Sal enim vel ipſi quidem Vino perutilis eſt, ac ſuavi condimento: nam ſi impurum aliquod acidúmque, aut nimis auſterum ebiberis, ſalſa modò eſculenta anteà ſumpſeris, illud guſtatui gratiùs, atque ex inſuavi averſóque optimum reddideris;

Illud

Illud etiam ſententiæ noſtræ robùr addit, quòd licet quidem frequentior majórque ſit in orbe terrarum pars hominum, qui aut naturâ, aut caſu, aut inſolentiâ, aut Religione à Vino prorsùs abſtineant, at verò nulli ſint, qui Salem non valde appetant, ac ſummo ipſum ſtudio conquirant, eíque, ut ſalutari ſuaviſſimóque ſuccorum ſemper indulgeant; præterea, neque ſalſis, quantumvis frequentatis, mediocriter utentes mortales, in morbos incidunt, nisì cùm illos creat violenta ebrietas, quam malorum Hidra Comes ſequitur.

CAP. VIII.

Quantùm Sal humanis corporibus valeat.

Valdè compertum eſt, Sole, atque Sale, nihil humanis corporibus ſalubrius; ut ſalutem non minùs à Sale dictam quàm à Sole ductam cenſeatur.

Verùm Sole interim omiſsò, qui rebus omnibus vitæ atque ſalutis origo, ſumma, & fons eſt: Salem poſt illum, primas totius incolumitatis humanæ partes agere, & perfectam ſanitatem humanam non modo dare, ſed retinere & conſervare oſtendam.

Nullum eſt dubium hominis vitam ut reliquarum etiam animantium in calore & humore à principio conſtitui, & humorem eſſe continuum caloris Pabulum, non minùs, quàm ignis eſt óleum in lucerna, quo deficiente, etiam ignis deficit, ac rurſum, ſi addatur illud, reviviſcit; ſic etiam humore langueſcente langueſcit in animali calor, illóque iterum augeſcenre major efficitur; ſed quoniam natura ita conſtituta eſt, ut illius conſumpti humoris æqua vix fiat inſtauratio, ac neque juſta compenſatio, hinc eſt, quòd in animantibus tam præproperus ætatis decurſus, tum maximè ingraveſcentis ſenectutis matura indies acceleratio ſequatur.

Quid enim prohibet hominem, perfecto enatum temperamento, amœniſ-

ſimo

ſimò in loco degentem, temperatiſſimísque tum auris, tum alimentis enutritum, nec non ab omnibus ſibi noxiis abſtinentem, hunc aut perpetuo vitæ curſu aut plurimo ſaltem intervallo temporis, in tanta poſſe perſtare ſanitate, eâque perfrui feliciſſimè ? Cujusmodi fuiſſe creditur Mathuſalem, quem humorum compoſitione ac ſymetriâ, membrorum robore, innati copiâ caloris, atque conſtanti demum ſanitate annos circiter millenos attigiſſe, neque ullô vitæ ſuæ tempore ægrotâſſe comperimus;

Non ergo infirmæ, impotentísque naturæ culpâ fieri dicendum eſt, quò minùs homo in præcipua & ſumma quâ conditus eſt ſanitate perſiſtat, ſed potiùs vitio intemperiei ſive loci, ſive aëris in quo vivimus, ſive alimenti, ſive noſtri denique ſoluti vivendi moris cenſendum eſt evenire.

Nam in Regionibus temperatis, vel à temperie verſus frigidam labentibus, præcipuè montibus, ac juxta mare ſitis, non paucos invenire eſt, tam robuſto enatos temperamento, ut vitam ducen-

tes ſaluberrimam, annum trigeſimum ſupra centeſimum computent; qui ſæpè totô etiam ſuæ vitæ tempore ſtupentibus Medicis perpetuam ſanitatem agant, nullâ prorsùs aliâ medicinâ, neque frequentiori pharmaco uſi, quàm optimâ temperamenti atque boni, lætique genii acuratâ conſervatione, & aſuetâ potiſſimùm ab infantia marina merſione, quâ duriora ac veluti cornea, qualia piſcatorum eſſe videmus, corpora redduntur; cutis enim & ſpiſſior & ſolidior ſaliturâ efficitur: nam eâ ipsâ uſos fuiſſe antiquos ad roboranda corpora, & mox natos infantes ſalire conſueviſſe palàm eſt.

Ex eo etiam in maritimis locis, præſertim montanis augeſcit ſanitas, quòd frequenti continuâque undarum in prominentes ſcopulos jactatione, fervens ſpuma circumfuſum aërem expurgat, & reddit puriorem. Quo fit, ut hoc ipſo aëre fruentes non minùs puris ac lætis ſpiritibus, quàm optimè concertis ac roboratis corporibus conſtent, atque diuturniorem quàm alibi vitam traducant; ju-

juvat enim eos, quàm maximè perpetua hilaritas, quam ex continuo ab alto prospectu & contemplatione maris percipiunt, quod suâ nativâ motione atque glaucô congruente oculis colore aspectui animóque spectaculum præbet jucundissimum.

Hæc sanè Liguribus in Italia manifesto usu veniunt, qui similem locorum situm incolunt, atque esculentis salsis non mediocriter assuefiunt, unde quantâ quámque integrâ sanitate sint, facilè est colligere ex pereleganti, quâ præstant corporis habitudine, ex pleno membrorum robore, ex roseo suffusóque splendore oris, tum festivâ fœminarum venustate ac pulchritudine, tum demum ex admirabili utriusque sexûs fœcunditate; neque enim harum rerum, præsertim nativæ pulchritudinis, tam similis per genituram à Parentibus in Filios fieri posset traductio ac etiam conservatio, nî tam firmâ plenâque illi sanitate constarent: siquidem venustas & corporis pulchritudo, nequaquam secerni possunt à valetudine.

Verùm hæc omnia propter loci ſitum multò excellentiùs conſequuntur Veneti, qui florentiſſimam ac omnium ſaluberrimam urbem medio in mari incolunt, eodem pacatiſſimo mari non ſolùm tranquillam, atque pedeſtri aditu prohibitam ſtationem, ùt inexpugnabilem, obvallante, verùm etiam firmiſſimam ſanitatem, à puriſſimo ac veluti per angiportus efflato aëre cunctis exhibente; quos eâ etiam de cauſa, in tam frequenti mortalium ab univerſo confluentium orbe, peſtis, ſeu alii graviſſimi morbi, perrarô ſolent invadere, & ſi invaſerint, facilè eſt univerſos propellere.

Sunt etiam pleræque aliæ Inſulares Regiones, quæ à maris vicinia, non minùs quàm & congruentem aëris ſalubritatem & uberem ſub ea agrorum fertilitatem conſequuntur. Hoc enim præcipuum eſt maris munus, integram, vel mediocriter ſanam naturam noſtram, ſano in ſtatu, quantùm prope ipſum eſt, aut in ipſo eſt, tueri, & conſervare.

Poſt-

Poſtquam igitur in præcedentibus, quantùm Sal in conſervanda natura integra, & ab omni corruptione vindicanda præcellat, explicavi, nunc nec alterum ejus officium prætermittere oportet, quantùm etiam ad morbos profligandos valeat; quare à capite primùm morbos, virtute & facultate Salis depelli indicare oportet, quò faciliùs reliqua corporis membra ſanari etiam à Sale approbetur.

Siquidem inter alia morborum genera, Eterogeneas quas vocant intemperies, capitis inæqualiter dolentis, tumentíſque, dum inter pilos rotunda & humida ſurgunt ulcuſcula, & pus mali odoris, cum adipe vitulino permixtus Sal curat, & vulneri recenti admotus ſanguinem ſiſtit omninò, ac nè putreſcat, abſumit, exſiccans ac erodens putreſcentia omnia.

Subvenit etiam dentibus nè corrumpantur, & ſemicorruptos inſtaurat, eorúmque dolorem levat, ſi quis manè jejunus illum contineat ſub lingua donec liqueſcat; ac neque ulla quidem ad eos

deter-

detergendos confecta medicamenta ità prosunt, sicut illa, quibus Sal admiscetur.

Item oculorum remediis, maximè verò contra eorum suffusiones, ad excrescentésque in illis carunculas seu tubercula succidenda, adeò est utilis & salutaris, ut nulla oculorum teneritate impediatur, quo minùs summo sit eis medicamento, unde colliriis & emplastris ferè omnibus addditur Sal.

Non minùs purgandis jumentorum oculis inspuitur, & tam ad oculorum quàm ad reliquos totius corporis morbos depellendos datur illis lingendus, adde proprium cujusque lotium, quod, cùm sit, quo dictum est modo sub salsum, summa est unicuique ad plures quidem ægrotationes medela, nam rusticis & pauperibus ad permultos tam intus quàm in cute exterminandos morbos frequenter adhiberi solet, ac quos inediâ profligare nequeunt, lotio sæpè eluunt.

Hoc ipsum ùt salsum confert calculosis, qui ob vitandos intolerabiles dolores

lores & cruciatus, qui ab excrescente calculo eveniunt, in perineo ferro aut igne se scindi patiuntur, ut è vesica extrahatur calculus, cui vulneri nihil aliud salubrius adhibuit natura, quàm ipsiusmet calculosi lotium interfluens, atque subinde exsiccans, & vulnus astringens.

Præthereà acuto repentinóque invadenti morbo, quem Medici Tetanum vocant, qui oppressis spirituum animalium influxui dicatis meatibus, omnium corporis musculorum & nervorum contractione, profundam extasin, sæpè etiam mortem inopinatam solet afferre, Sale mederi, expertum est, frustulis ipsius sub plantis pedum continuatâ frictione adhibitis, quâ sensus irritati spirituum animalium per nervos refluxum recipiunt, & ità æger, quasi à morte ad vitam revocatur.

Accedit temulentia, insaniæ cognata, quâ laborantes olim Sale & oleo inungebantur, sícque à deformi morbo liberabantur.

Morbos Comitiales, mersiones marinæ sanant, plerique Comitiales morbi adhi-

adhibitô Sale curantur, ità ùt nulla quasi horum morborum antidota, auctore Plinio, non nisi Sale additô fiant.

Porrò vomitiones, quæ navigantibus accidunt, instabili maris hujúsque salsuginosi propè aëris volutatione commotæ, ejusdem aquæ marinæ bibitione subsistunt. Proùt quoque marinæ aquæ haustus ex eóque proveniens vomitio, plurimis morbis capitis, oculorum atque pectoris medetur, tum etiam bili aliisque omnibus, propter quæ, ùt vult Plinius, helleborus bibitur, medetur: ex quo fit, ut terras ultra mare adeuntes, quos tum cœli aërísque mutatio, tum insueti terræ halitus, & alimenta in morbos sæpè adducunt, nullâ salubriori medicinâ, quàm hisce vomitionibus sibi præcavere possint; Ad hæc, ad purganda corpora bilémque atram & sanguinem concretum epota maris aqua perutilis est, quamvis non sinè aliqua stomachi injuria; fuêre quoque Medici, qui in quartanis febribus eam ebibendam dedêre.

Cly-

Clyſteribus etiam alii tepefactam ad tormina & choleram morbum ſananda infudêre, quidam & marinam, teſtium tumori, fovendo cunctis pharmacis prætulerunt; ad ictus etiam & morſus venenatos calida ſumpta ſalutaris intelligitur.

Hodie item morſos à cane rabido, ſi novies mergantur in mare, fama eſt pluribus comprobata experimentis à rabie liberari, atque ut infinita penè ſunt ad innumeros morbos ex mari adhiberi ſolita remedia, omnia tamen & ex ſalſugine emanare, & ob ſalſuginem mari ineſſe, ac neque aliunde quàm quòd per ſalem in eo ſalus ſit incluſa ſal dictus fuiſſe, ex his, atque tam multis quæ ſuprà oſtendimus, facilè credi poteſt;

Sed nec Mediterranei tanto marinæ aquæ fructu ac medicinâ carent: Curâ atque ſoletri mortalium experimento inventa fuit ratio, quâ ſibi quiſque, à mari licet remotiſſimus, marinam conficeret, nam ſi ſextarius Salis cum quatuor aquæ ſextariis permiſceatur, ſalſi maris vim & ſaporem referre probatiſ-

ſimum

ſimum eſt, Plinio aliiſque naturæ myſteriorum ſcriptoribus id approbantibus & expertis; usque adeo enim vis hæc ab ea ratione ſeu proportione effluit, ut ſi plùs quàm ſextarius Salis cum quatuor ſextariis aquæ mergatur, aqua vincatur, cùm Sal non liquetur.

Inſuper ſalsâ etiam potione, inter alia morbum Regium curari, expertum eſt;

Paralytici & Apoplectici, qui nervorum reſolutione totô corpore aut parte aliquâ contrahuntur, marinâ calidâ, vel ſi ea non eſt, aquâ ſalsâ commodiſſimè foventur, paulatimque membris convaleſcunt.

Nervorum etiam dolorem maximè, ùt ait Plinius, circa humeros & renes linteis in aqua ſalſa ferventi crebrò madefactis, expertâ obſervatione Sal levat; quam ob vim colicum affectum tormina & coxarum dolores fotus ejus mirificè mitigat, ſed Hydropicos quosdam Sale curatos fuiſſe, fervoréſque febrium, quaſi reſtincto in lampade oleo ademiſſe, graves pectoris obſtructiones ac tuſ-

tuſſim veterem, hujusmodi linctu diſcuſſam, fama & experientia ferunt.

Ac neque Podagris & Lepris curandis, neque ignibus ſacris, ulceribúsque quæ ſerpunt, ſedandis, neque certis venenorum generibus,ùt diximus,compeſcendis inutilis eſt;

Prætereà ipſi clyſteres, qui maximè ad ventris levationes, tanquam neceſſaria medicinæ vehicula præmittuntur, ut inteſtina irritent ad ſordium expulſionem, atque ut ipſa naturalis per ſeceſſum purgatio faciliùs adjuta promoveatur, nulli ferè à Medicis ſinè Sale adhibentur. Denique Medicis experimentis comprobantibus, aut per ſe ſolus Sal, aut cum aceto, oleo & melle, aut cum horum unoquoque, aut cum omnibus quibus commiſcetur Pharmacis commixtus, omnium penè tam ſimplicium, quàm compoſitorum medicamentorum vim, & facultatem curatione ſuâ conatur exæquare.

Prodeſt Senibus etiam, Regiones frigidas incolentibus, ſi quis hyeme glebas Salis lateritias ad ignem calefaciat, &

pannis involutas pedibus in lecto cubans supponat, quòd hæc tum diutiùs calorem retineant, tum innatum, alióque retrusum, revocent ad extrema membra; ità quippè eorum senile corpus fovetur, atque pituita in eisdem magna ex parte cohibetur, & à capite detrahitur.

Est quoque approbatum experimento, in locis ubi sunt Salis cumuli, noctu ac sub Dio cubantes, atque ex Sale lectos sibi sternentes, arcere à se cunctas agri Bestiolas, ac non solùm quietiùs profundiúsque dormire, verùm frequentatione redundantes in ipsis humores extenuari, ac eos meliùs habere; quamobrem, non solùm corpori in universum, verùm singulis ejus membris sanandis, ab iisdémque, & simplicibus & compositis morbis depellendis, Sal mirabiliter adhibetur; cujus præcellens utique ac benigna natura, adeò semper est in communem omnium salutem propensa, ut universas suas ipse facultates, quibus præcipuè eminet, ùt sunt; Saporem conciliare, astringere,

tergere, expurgare, diffundere, attenuare, penetrare, tum urere & ſiccare, aliáque innumera ejus officia perpetuò nobis impertiatur;

Tam multis denique atque tam variis, tum vitæ ſalutísque commoditatibus comparandis, tum morborum generibus depellendis, Salem mortalibus utilem ac neceſſarium eſſe deprehendimus, ut meritò ad id unde ſumma propoſiti derivata eſt, redeat, nihil eſſe Sale humanis corporibus ſalubrius: nam ſalem quidem ex quodam quaſi naturæ vinculo, usque adeò præcipuam humanorum corporum curam ſuſcepiſſe compertum eſt, ut minimè mirum videri debeat, nos jam mundo natos continuo ſanitatis officio ſervari à Sale, cùm antequam naſcamur ſuâ nosmet ille, cum occaſione generet, tum poſtquam naturâ conceſſimus, demortuos non deſerat, ea quippe nos charitate proſequitur ſal; ut unà ſe ipſe nobiſcum affectu plùs quàm materno ſepulchro recondat, ídque tam ut corpora noſtra à corruptione vindicet, quàm ut innato ſuo quo-

dam immortalitatis igniculo fovendo ac conſervando, illa quàm diutiſſimè integra retineat.

Quod quidem excellentiſſimum Salis munus, præclarè ſatis in ipſis demortuorum animalium carnibus expleri videmus, ſiquidem nullæ cujusvis generis animalium, etſi peſtiferorum, carnes ſunt, quæ non ſerventur ſalıturâ, usque adeò ut ſinè incommodo quandoque crudæ edi poſſint: quarum certè humanæ, tametſi ad corruptionem multò ſint aliis procliviores, ſi tamen Sale condiantur, reliquis fiunt longè diuturniores, miréque reſiſtunt corruptioni, unde cadavera, quæ pluribus ſæculis cupimus manere integra & incorrupta, parum eſt aliis, quantumlibet pretioſis aromatibus oblinìri, nisì Sale, aromatum præſtantiſſimo, condiantur;

Nam & Opobalſamum, quod condiendis cadaveribus valdè inclytum, atque inter aromata nobiliſſimum habetur, haud credo ipſum ſinè Sale, quòd Sal ſinè ipſo efficere omnino poſſe; ex quo Ægyptii, apud quos major cura fuit con-

condiendi atque aſſervandi corpora ad perennitatem ſuorum præſertim Parentum & Conſanguineorum, quos non ſolùm Mauſoleis incluſos, ſed Domi etiam intrà cubicula, retectâ facie, quaſi vivos contemplabantur ac retinebant; non Balſamo cum Myrrha & Aloë, ſed Sale cum NitroCedria & Aſphalto, hoc eſt Bitumine liquido, túm olim, tum etiam noſtrô tempore uſi ſunt.

Plinius lib: 13. his verbis affirmat; Salis inquit natura, eſt per ſe ignea, & inimica ignibus, fugiens eos, omnia erodens, corpora verò aſtringens, ſiccans, alligans, defuncta etiam à putreſcendo vindicans, ità, ut durent per ſæcula;

Hæc ille: ex quibus verbis apparet univerſas ferè rerum condiendi facultates in Sale contineri; Mumia, ſecundùm Bellonium in ſuo de medicato funere libello, poſtquam argutè elegantérque improbavit aliorum rationes de ortu atque origine Mumiæ, eámque neque corpus ſub arenis Africæ arefactum, & ibidem inventum, neque cadaverum tabidam ſaniem in ſepulchris, ùt volunt,

repertam esse ostendit, tamen ut qualis atque unde illa verè sit, dilucidet: Mumia, inquit, nihil aliud est, quàm funus medicatum, quod primò Sale aspersum, aut Nitro salitum, & per multos dies Cedriâ & Asphalto recenti, vel liquore Bituminis unctum conditúmque, deinde aromatibus & unguentis, Myrrhâ, Cinnamomô & Balsamô, ad probum odorem conciliandum consperssum est. Per quod ille Salem, quà præcipuum medicamentum inter omnia, quæ à corruptione corpora conservandi vim habent, vindicat: ejus enim admirabili ope fieri asserit, ut humore quovis absumpto corpus minimè contabescat, sed quàm diutissimè fieri possit, maneat integrum & incorruptum, ex quibus quantùm Sal in nobis valeat, ut simus, ut benè simus, & ut perpetuò ferè simus, intelleximus.

Cap. IX.

Quantùm Sal Animantia delectet.

Hactenus præcipuam ſanitatis partem, quam homo beneficio Salis, tam in conſervanda ſanitate, quàm in depellendis morbis conſequitur, Sali adſcribendam probavimus: ex re jam nobis erit ad oculum demonſtrare eam quoque ſanitatem, quæ cæteris animantibus ab optimis alimentis provenit, Sali quoque tribuendam eſſe; etenim apertiſſimum ſanitatis indicium eſt, animal promptum atque alacre eſſe ad gignendum, ipſúmque poſſe non ſolùm ſibi ſimile, ac æquè validum verùm ſe ipſo pulchrius atque robuſtius naturæ ductu procreare, hanc autem in iis præſertim animantibus, quæ copioſô Sale paſcuntur perfici, ac uberiùs expleri, quin & mures abroſo Sale prægnantes fieri, ac non ſolùm fera, verùm etiam manſueta ad cibum & uſum hominum divinâ lar-

gitate procreata animantia Salem in universum omnia appetere, & summo naturæ impulsu ipsum quærere videmus.

Inter alia verò potissimùm Ovem, animal naturâ mundo mansuetum, fœcundum, lanigerum, ac nostro etiam usui mirè congruens, ipsum enim usque adeò mortalibus utile, ac necessarium esse experimur, ut, cùm omnium animantium, quorum ope nitimur, alia victum, alia vestitum præstent, sola ovis, & victum nobis det salubriter, & extra vestiat, atque ornet decenter; Hanc autem, nisì summâ curâ & ad certos dies Sale sufficienti dato, in locis præsertim aridis, nimiúmque à mari remotis, recreaveris, continuò ipsam tabifico morbo teneri, vermiculis scatere, scabie infici, horridas lanas & insuaves ejus carnes reddi, gustum amittere, sterilem denique eandem fieri videbis; quam horrendam malorum colluviem boni Pastores non alio potentiori neque salubriori antidoto, quàm Sale præmuniunt: unde fit, ut, quæ in locis maritimis

aut salsuginosis compascuntur pecudes, multò fœcundiores evadant, multóque suaviores ac teneriores carnes perferant, largiore lacte & caseo gratiore abundent, lanas abundantes longissimas & finissimas portent: quòd tum ex hoc potissimùm liquet, quòd cùm Pecus omne potû quàm maximè pinguescat, ad continuam hujus appetentiam excitandam ac etiam fovendam, nihil æquè aptum sit ac Sal, qua de causa Sale quidem, atque optimâ Pastorum solertiâ fieri, ut vitulis lactantibus, dum in stabulis tenentur, Salis glebæ objiciantur, ut illas toto eo tempore lingant, quo Matres pascentes absunt; quo linctu gustu vehementer excitato, sic inhiant Matrum Uberibus, ut ea, plenissima licet, cum avidissimè sugant, tum eo alimento ad humanum Cibum & temperatissimi & suavissimi fiant, neque enim lac tametsi dulce, cùm pingue sit, tantâ gustûs appetentiâ è mammis sugeretur propter dulcedinem, nisi Sale & naturâ condientibus illud saperet subsalsum;

Quemadmodum Poëta quidam præclarè tetigit, inquiens:

Capellas linctû, Salis
Occultum in lacte referre saporem,

at demum quid de Sue dicam? quâ pecude, ùt inquit Cicero, nihil genuit natura fœcundius, quæ Beſtiæ omnium inertiſſimæ, ſtupidiſſimæque, neque ad aliquod ingenii opus,ut cæteræ animantes natæ, ſolùm tantùm vivunt, ut pingues reddantur, ut ex iis mortalibus omnium eſcarum ſuaviſſimus, & quaſi primus cibus fiat; unde ut ſus moriens vivat, Sale pro anima, & imbui & condiri vult; Quo alimento ſanis præcipuè exercitíſque corporibus, ſummo Medicorum conſenſu, neque inveniri poteſt quidquam validius, neque temperatius, neque ſuavius;

Verùm neque inter quadrupedes Salis amicos, prætereundus eſt lepus, qui Romanis olim magni fuit habitus, ùt teſtatur Martialis:

Inter quadrupedes gloria prima Lepus.

Huic enim tanta eſt appetentia Salis, ut nusquam certior ſit ejus captura, quàm

in

in areolis, ſive latis lapidibus, ubi Paſtores ſolent ovibus Salem porrigere; Eò enim lepores noctû veniunt, ut reliquias Salis lingant, quo ſapore ſic alliciuntur, ut quaſi viſco inhærentes in ipſomet linctu capiantur à Venatoribus, perinde ac etiam Cuniculi, quos omnes ab eo ſalſorum paſtû quaſi naturâ conditos, credendum eſt apud antiquos tanto fuiſſe in honore habitos;

Quamobrem verè profectò eſt ridiculum, hanc Belluis tam inſitam Salis appetentiam, arti noſtræ potiùs, ad eas, ùt dicunt facilè capiendas, quàm naturæ providæ, quæ illam ad tantorum bonorum cumulum ipſis impertita eſt, tribuere; non enim conſuetudine poſſet ars id, quod naturale non eſt, tam univerſis quàm ſingulis animantibus inſerere & infigere.

Nam quamvis arte fit, ut pleræque ferarum nobis manſueſiant, tamen ob id illæ, neque rudiore certè ſunt ingenio, neque in deteriorem mutantur conditionem, quin potiùs proprium atque præcipuum tributum, tum generoſiùs aſſequun-

quuntur, cum ſubjiciuntur nobis, atque domeſticâ familiaritate, non ſolùm feritatem exuere, ſed quaſi ingenium noſtrum, atque conſortium quoddam nobiſcum induere videntur, atque ità Sale fit, ut nobis eadem & perpetuo ſint uſui dum vivunt, & mortuæ etiam cibo atque indumento; nam earum pelles, quæ ad tam multos & varios uſus accommodari ſolent à mortalibus, ad nullos quidem prodeſſent, nî protinus recentes detractæ, ad putreſcentem inde ſaniem combibendam Sale multo conſperſæ, obvolverentur.

Porrò neque Aves, quas natura mortalibus aut in eſcam produxit, aut in aliarum aucupium conſociavit, aut in oblectamentum non modò variis pulcherrimíſque exornavit coloribus, quin etiam noſtras articulatas voces conari permiſit, ità dulcibus aſſueſcunt, ut à ſalſis omnino abſtineant. Nam earum præſertim maritimæ, & quæ in paludibus degunt, ſalſugine quàm maximè delectari videntur; non enim quicquam non ſalſuginoſum ſive terreſtre illud ſit, ſive

ſive aqueum ac vel aëreum, propter ſalſuginoſos loci halitus & humores, deguſtare ſeu devorare poſſunt: Maximè verò Alcyones, tum Mergi & Gabiæ, aliæque marinæ volucres, quæ piſcibus aluntur, de quibus illud mirandum eſt, quòd, cùm omnes Aves cubilia & nidos ſibi conſtruant, eóſque quàm poſſunt molliſſimè ſubſternant, tamen Alcyones prout fama fert, certum eſt, nidos ſuos ex duriſſimis piſcium oſſibus & acutiſſimis ſpinis fingere, ac rariùs niſi ſupra mare videri, atque inter ſalſuginoſa & aſpera maris cunabula, fœtus ſuos fœcundiſſimos emittere, ac neque ponderosâ ſalſugine impediri, quò minùs ipſæ pari cum cæteris avibus ſalubritate & volatu fruantur.

Quin & his Volucribus, quæ carnivoræ ſunt, contingit etiam, ut, ſi aliquando in carnes ſalſas inciderint, minimè ad inſalſas inclinent, quamquam maximè verum eſt, naturam avibus levitatis atque volatûs causâ dediſſe, ut dulcia potiùs cùm leviora ſint, quàm ut ſalſa, aut aliorum ſaporum nutrimenta ap-

appeterent. Hoc quoque dicendum, quòd omne genus Accipitrum Sale imbuitur ad se purgandum; neque prætermittendum id, quod à sagacissimis aucupibus diligentissimê fieri dicitur, dum Accipitribus præcipuæ alarum pennæ inter volandum franguntur, illas Sale & alliô reficere.

Perdices neque feraciores, neque solidioris succi alibi, quàm in montanis aliísque locis aridis procreari comperimus, propter loci siccitatem, quæ salsiusculum, ideóque pingue quodammodo ipsis pabulum reddit, eásque salaciores efficit.

Columbas itidem & Palumbes, genus avium fœcundissimum ac etiam calidissimum (sicuti Glaucus ille atque Subcinericius, & quasi adustus color, quô ornantur, indicat) nónne tum ad concoquendum, tum maximè ad propagandum ministerio & ope Salis uti videmus? non solùm enim salsiorem terram, ùt inquit Plinius, sed etiam grana salis gutture colligentes, pullis suis in ora inspuunt, ut eis tam fœcunditatem

ac

ac propagandi vim, quàm cibi etiam appetentiam ingerant;

Neque enim verisimile est, omnium salacissimos Passeres, Turdiculos ac hujus generis, ut reliquos omittamus, sinè aliquo nutrimento salso posse in tantam salacitatem erumpere.

Denique inter ea quæ vocant insecta, non avium modò, sed cunctarum etiam animantium officiosissimæ, ac divinum quid præseferentes occurrunt apes, quas natura permagno sui miraculo, tanquam optimæ frugalissimæque Reipublicæ specimen & exemplum, mortalibus mirandum proposuit; dum enim se illæ ad fœtus fovendos & incubandos accingunt, salsuginosa maximè loca petunt, ibíque aut muriæ stillas sugunt, aut salsuginosum quodcunque reperêre, vel ex ipsis bestiarum fœcibus & excrementis delibant, ut regale semen, cui incubaturæ sunt, salso illo fomento suscitent.

Cui etiam ministerio illico sunt fuci à fovendo dicti, ùt inquit Plinius: Fucus est apum fœtus, & quasi ad earum servitu-

vitutem natus, atque dum fœlix eſt annus, ad victum admiſſus, alioquin à miniſterio rejectus, ùt inquit Maro in Georgicis:

Ignavū fucos pecus à præſepibus arcent.

Demum, qui non in opere tantùm, ſed in fœtu quoque apes adjuvat: His námque ad paſtum abeuntibus protinus fuci fœtibus incubant, hósque calore fovent, qui etiam inter apes mares eſſe reputantur; nam etſi geniturâ careant, ſeminalem tamen gignendi rationem in ſe continent, quósque ob id idem fucos appellant, quòd fucum, ùt dici ſolet, faciant, perinde ac Evnuchi, quibus, etſi ſubſunt virilia, ſteriles tamen ſunt, & ad generandum inepti. Quamvis ſunt nonnulli qui aſſerant, Reges apum eſſe de genere ac proſapia fucorum, atque inter hos naſci, minimè tamen id eſſe verùm probatur ex eo, quòd licet aculeo ſimiliter Reges careant, ſeminalem tamen gignendi rationem habeant ampliſſimam, quam non facultate tantùm, ùt fuci, ſed fœcundiſſimo actu præſtant.

Ve-

Verumtamen quoniam ſalſum pulchro conſonat, haud inſulsè me factu-rum puto, ſi inter hæc ſalſa, pulchra quædam ſatíſque ſcitu digna permiſceam, de excellenti origine, primigenióque ortu apum, quem à mortuo atque putreſcenti bove duci poſſe, Maro & Plinius confirmant.

Quæ ſententia planè ſtupendo quodam naturæ miraculo in ipſismet fucis nuper vera eſſe deprehendebatur; nam cùm fucus digitis atque ungue medius premeretur, ſi fortè aliquid vice aculei emitteret, ruptis viſceribus atque poſterioris partis Pelliculâ, album ſeu croceum caput bovis, expanſis ac tortuoſis cornibus, roſtróque adunco affabrè formatum derepente emergebat: Naturâ quidem (cui meritò ſumma ineſt cura apum) in hoc portento ſeminalem ipſarum rationem, atque unde tandem amiſſæ inſtaurandæ ſint, per fucos mirè oſtendente.

Sed ut ad ipſarum apum appetitam ſalſuginem revertamur, fit etiam, ut, ſi à deguſtatis contrariis atque noxiis floribus,

ribus, aut aliàs in morbos incidant, urinâ hominum, quòd ſubſalſa hæc ſit, illæ ſanentur. Quinimò ſimili compertum eſt experimento in locis montanis, maritimis tamen, propter ſalitos maris halitus, & floſculorum copiam easdem usque adeò propagari, ut vaga illarum examina arborum corticibus inſidentia, objectis alvearibus facilè capiantur, modò ipſa alvearia Sale muriano illita fuerint, tantus illis propagandi appetitus ineſt, quem in ſalſis multò uberiùs expleri præſentiunt.

Quòd igitur in Ove, in Vitulo & Leporibus, aliíſque Avibus, & inſectis deprehenditur, hoc idem in reliquis beſtiis atque innumeris animantibus in Salem naturâ propenſis, inveniri poſſe conjicimus; eò enim ſalubriora illa nobis guſtuíque gratiora, quò abundantiore Sale ea paſci curamus.

CAP. X.

Quantùm Sal Vegetabilia juvet.

Salem, quem ipſa natura mortalibus, adeóque univerſis quæ ſentiunt animantibus, non minùs utilem ac neceſſarium, quàm appetibilem protulit: ſtirpibus etiam, ex quibus illorum alimenta & medicamenta conſtant, non incommodum & infructuoſum fieri permiſit; quî enim Sal fœcunditatis vim à natura tributam ſtirpibus, ab eiſdem omninò tollet, cum naturâ etiam aptus ipſe ſit, ad eas nutriendum? ídque præcipuè teſtimonio Hippocratis Philoſophorum omnium nedum Medicorum facilè Principis: is enim cum libro de natura hominis docere vellet, hominem non uno ſed pluribus humoribus tanquam elementis animalium ſanguine præditorum conſtare, non ſolùm aliis id ità ſe habere confirmat argumentis, verùm etiam attractione medicamen-

camen-

camentorum, tum ſingulos humores evacuantium, tum omnes, quando nimia eſt evacuatio; quod lucidiſſimâ quâdam ſimilitudine ex ſtirpibus petitâ illuſtrat, his verbis.

Nam medicamentum, inquit, cùm in corpus fuerit ingreſſum, primùm ſanè ducit, quodcumque ipſi inter ea, quæ corpori inſunt, naturâ maximè reſpondet, deinde alia quoque trahit & expurgat, quemadmodum ſemina & ſtirpes terram ipſarum ſugunt, id eſt familiaria attrahunt; eſt autem & acidum, & dulce, & amarum, & ſalſum, & omnifarium; primùm igitur plurimum ejus, quod ipſis cognatum eſt, arripiunt, poſtea alia quoque ad ſe alliciunt, tale quid, & medicamenta in corpore faciunt. Hæc ille: cujus ſententiam Galenus in Commentario & alibi paſſim libentiſſimè ſequitur.

Ex quibus Hippocratis verbis colligere eſt, ſtirpes aliquot ſalſas inveniri poſſe, propterea quòd ali, foveríque poſſunt nutrimento ſalſo; unde conſtat, quàm longè latéque pateat Salis imperium,

rium, quòd præter animalia sensû prædita, stirpes quoque frequentissimè ejus alimento subjectæ nutriantur: nec audiendus est Plutarchus, Vir alioqui Philosophiæ peritissimus, qui (libro de caussis naturalibus) asserit, stirpes ideò humore salsô non ali, quod nulla reperiatur, cujus fructus salsus gustantibus appareat, nam etsi rarus est fructus, qui saporem salsum omninò referat, non tamen ex hoc fit, quòd nullæ arbores alimento salso nutriantur, sed ex natura potiùs humoris salsi, cujus partes crassæ cùm sint, radices tantùm, truncum & ramos majusculos alere, ad fructum verò tenui humore semper indigentem, ægrè attolli possunt. Tametsi salsæ quædam ficus alicubi reperiantur edi solitæ, quas negare non possumus naturâ esse dulces, verùm eas perfundi quidem sapore subsalsô, qui ab ipsis concipitur, aut ex salsuginoso terræ halitu, aut ex calore Solis tenue illarum dulce exsiccante.

At verò, quantus sit earum stirpium numerus, quæ humore salsô aluntur, ac neque ab ipso impediuntur, quò minùs in

in proceras arbores erumpant, recenſerem hoc loco equidem nisì aliò mea feſtino gradu properaret oratio. Nam ſi loca ſalſa permulta ſunt ſtirpibus referta, quis affirmare dubitet, harum eſſe etiam perplures, quæ ſalſugine vivant & adoleſcant? quare nonnullas exempli causâ proponam; omne igitur ſtirpium alimentum, cùm ex pingui maximè conſtet, ac ubi ſalſum eſt Solum, vel ob innatum Salem pingue (ùt mox dicetur) hoc à ſalſo ſejungi non poſſit, neceſſe eſt, ut ſtirpes, quæ ex Solo ſalſo emergunt, non ex pingui tantùm, ſed ex pingui ſalſo naturâ proferantur & creſcant. Ubicunque enim ſalſum copioſiſſimo humori conjunctum fuerit, ut in mari, cunctas ſtirpes ſapore ſuo non ſolùm imbuere, verùm etiam, quà pingue eſt, nutrire poterit & augere, quippe ſtirpibus, non modò qualitates, ut figura, calor, ſapor, odor, magnitudo, ſed vires, &, quibus inter ſe diſtinguuntur, facultates, nónne ab alimentis, quibus nutriuntur, obveniunt? tanta enim propriarum qualitatum immu-

tatio illis poteſt ex alimentis accedere, ut cum his, quaſi naturam commutâſſe videantur. Etenim illarum ſemina ſeu radices, quæ naturâ aut amari, aut acris ſaporis ſunt; ſi terræ mandata cum melle aut ſacharo aut alio diverſi ſaporis ſucco convoluta occentur, an non relicto naturali ac proprio ſapore, conſiti alimenti ſaporem ſubire, atque conſentaneum huic fructum proferre videmus? quod ubique de fœniculo experimur, quod Romæ ſuaviſſimi ac dulciſſimi ſaporis eſt, in Hiſpania verò vix niſi ſubacris aut ſubamari invenitur. Fit tamen ſolerti Agricolarum ſatione, ut enaſcatur dulce, ſi modò ſemen intrà ficum, aut cum melle, aut ſacharo commiſtum ſeratur.

Huc etiam pertinet, quod de piſcibus aſſerit Plinius, quoſdam eſſe amaros ad Pelem Inſulam, quoſdam ità ſalſos, ùt ſunt ſalſamenta, juxta Euripum: alios tandem circa Cephaloniam, & aliis locis omninò dulces, quam ſaporum differentiam inter piſces, idem auctor pro certo habet haud aliunde, quàm ex ali-

mento & pabulo ſimili ſapore prædito, juxta loci ſitum conſtare; unde ſimili etiam ratione ſalſum, quod aut occaſione Soli, ut ex ſeſe pingui ſtirpium alimento, aut occaſione ſitûs, in iis præſertim, quæ mari innaſcuntur, commiſtum eſt, poteſt proprio quidem calore, quamvis difficulter, ſe ipſum unà cum alimentis in plurimas ſtirpes inſinuare, nec non ſuâ, ùt videre eſt, & qualitate, & ſapore eas afficere, quæ etiam, nè adoleſcentes illas ſalſugo, aut ſiccitate erodat, aut calore adurat, à circumfuſo ejusdem maris humore copioſiùs irrigatæ & defenduntur, & permanent. Cujusmodi plerasque in mari atque ripis ſalſarum aquarum enaſci, nutriri, atque ſalſum ſapere experimur; nutrit enim Indicum mare ſalſam herbam, quam vocant Salzagum mobilem, in mari ſummo conſiſtentem, adeò copioſam, ut intuentibus florentiſſimorum pratorum ſpeciem referat; ſicuti primis illis, terras ultrà mare ad partes abeuntis Solis expoſitas inquirentibus Hiſpanis, poſt diuturnum atque longiſſimum emenſis ma-

ris

ris ſpatium obtigit, quos ejusmodi procul viſa Salzagus planè ac ſtabilis Inſulæ proſpectum præſeferens, vanâ eluſit ſpe; nam partim viridis eſt, partim crocea, quæ, quia humore maris alitur, nec niſi ubi ſalſuginoſum eſt Solum enaſcitur.

Rubrum item Mare, ac totus Orientis Oceanus, refertus eſt ſylvis, etenim ùt teſtatur Plinius lib: 4. Alexandri Milites, qui navigârunt in Indos, frondem marinarum arborum tradidêre in aqua viridem fuiſſe, exemptam Sole protinus in Salem areſcentem; eodem quoque tractu Inſularum ſylvas altiores, Plantis populíſque æſtû maris opertas ab eisdem etiam fuiſſe viſas: ità, ut ad maximarum earundem arborum cacumina naves religarentur, quin & pleno æſtu, totas fuiſſe opertas, recedente verò æſtu ejusdem maris, naves eas, fluctibus advenientis maris propulſas, ad radices earundem arborum reſtitiſſe immobiles. Unde apparet rerum argumentis, tam aſperitate aquarum, quàm pingui ſalſugine arbores, tum alia quæque indureſcere;

 Adri-

Adriaticum Mare rudiſſimam herbam profert Algam vocatam, haud equidem omninò rerum omnium, ùt eſt in proverbio, viliſſimam; cujus copia & mollities cauſa ſunt, ut Venetis, & ferendis urceis, & vitreis vaſis in varias mundi partes transmittendis, fiat aptiſſima; quin & ſe etiam magnoperè in eo exhibet, quod ex Solo & pabulo ſalſo naſcitur & nutritur, atque ut veram agat ſtirpem, & Vere pullulat, & Æſtate viret, & Hyeme etiam moritur, etiam ad fugandos cimices eadem cultricis ſuppoſita inventa fuit utiliſſima.

Porrò eſt herba quædam Anthillis dicta Dioſcoridi, quæ toto ferè Valentino Regno, maximè ad oram maritimam oritur, cujus duæ ſunt ſpecies, ùt quidam Medici doctiſſimi cenſent, altera, quæ Valentinis Soſa borda, altera, quæ multò præſtantior multíſque uſibus accommodatior, Barilla vocatur, utraque ſapore ſalſo cum quadam aſtrictione prædita, quam ſolent Paſtores, Salis inopiâ urgente, ad Solem torrere, ac exſiccare, eâque in pulverem redactâ

vice Salis uti. Hanc autem herbam sive conflatum ejus cinerem Kali vocant Arabes, Salem verò ex decoctione ejus herbæ resultantem Salem Alkali, cinerem autem jam induratum Alumen Catinum. Quamquam & ipsum Alumen quid aliud esse, seu haberi potest, quam quædam ferè hebescente sapore salsugo terræ;

Ex quibus constat, non omnes stirpium succos, insulsos prorsùs à natura fuisse productos, minúsque audiendam Plinii sententiam, qui salsum saporem non nasci affirmat, hunc solummodò ab omnibus stirpium succis excludens, cui sententiæ satìs, nî fallor, iis quæ adducta sunt, obviam est itum, atque ab illa quidem ad consentaneum rerum judicem, experimentum, ratione Duce appellatum; quis enim dubitat pleraque alia, quàm quæ recensuimus, herbarum genera esse, neque nota nobis adhuc, neque gustui dissentanea, quæ præter usitatos sapores, salsos etiam referant, & quæ non modò salsum sapere, sed salso ex Solo gigni & ali possint? Cùm non

tan-

tantùm ſalſis,ſed amaris etiam alimentis ſtirpes nutriri, ùt docuimus auctor ſit Hippocrates; quid enim prohibet in ſtirpibus quemadmodum in animalibus & inanimis, aut monſtrum, aut inuſitatum quid evenire?

Verumtamen quidquid illud ſit, excellentiæ atque benignitati Salis eſt datum, ut ſtirpibus, quibus ſapori pabulóque, aut alimento eſſe non poteſt, ſit aut medicamento, aut majoris fœcunditatis occaſioni; nam eodem referente Plinio pleræque arbores atque herbarum genera ſunt, quæ ſalſis aquis partim reficiuntur, partim, ſi in ſterilitatem, aut alios morbos incidant, emendantur, ac revireſcunt, ut Lentiſcus & Palma, hæc námque ſalſum Solum diligunt, atque ubi tale non eſt ſale aſpergi, non radicibus, ſed paulò remotiùs deſiderant, nam levi ſabulosâque terrâ ac majori parte nitrosâ gignuntur.

At inter alia, Ciceris natura eſt gigni & occari cum ſalſugine, quemadmodum & Magni Ciceronis fuit, cum ſummis animi Salibus naſci, & adoleſcere, quin

quin & Apii Radix, ùt Ariſtoteles inquit, ſalsâ irrigari vult, ſunt & aliæ ſtirpes, quibus peculiaris medicina in ſalſis aquis eſt ſita, ùt Raphanus, Beta, Ruta & Cunila, quam Dioſcorides Origanum Eracleticum vocat: quarum ſuavitati fertilitatíque augendæ confert ſummopere: inſuper & vitium radicibus, ſi lachrymoſæ ſint, aqua ſalſa affunditur, quâ ejusmodi ſuperfluus humor combibitur.

Pleræque etiam arbores, quæ nullâ externâ causâ langueſcunt ac ſiccantur, ſalsô irrigatæ humore, radicitùs reviviſcunt & convaleſcunt; propterea, quòd humor ille vermes, exſiccationis cauſas, imis radicibus affixos exſtinguit.

Ad hæc, neque ſtirpibus tantummodo & arboribus affuſa ſalſugo prodeſt, ſed earum etiam decerptis jam fructibus perficiendis perneceſſaria adhibetur; ſiquidem Græcorum uſu ad excitandam Vini levitatem Sale aut Muriâ ſolebant Vina condiri, à quo etiam uſu & condimento neque noſtri temporis abſtinent, nam iis, quibus dictum eſt cauſis, ſocietate

tate

tate Salis augetur Vini ardor, præſertim ſi fermenteſcenti adhibeatur.

Hodie itidem Sale & aquâ, ùt vulgo dicunt Salmuriâ ferventi, exceptura Vinum dolia diligenter purgare, elueréque ſolent, tum ut doliorum rimæ aſtrictione Salis conſtipentur, tum maximè ut quicquid in illis putridum fuerit, ejusdem vi Salis abſumatur; quin etiam Cupæ magnæ vinariæ quàmdiu vacuæ manent, nè tam ſquallore ac ſitu quàm ærugine contabeſcant, neque in eis prioris Vini fœcibus ſequens aceſcat, quartâ parte modioli Salis inclusâ conſervantur incolumes.

Quodvis prætereà frumenti genus, Sale quàm maximè defenditur à putredine, atque inprimis triticum, nam hoc quidem diutiùs aſſervatum, cùm ſit corruptioni obnoxium, maritimis præſertim in locis, vix ultra biennium retinetur: at verò in mediterraneis montanis inſperſô Sale ultra decennium dicunt ſervari incorruptum. Hoc ipſum molitum, atque infarinam redactum cum Sale, & lauri foliis commiſtum conſer-

vatur

vatur in annos: Humore quidem ejus à Sale ex parte exſiccato, quemadmodum experimento clarè oſtenditur.

Nam ſi duos panes ejusdem ponderis ex eadem maſſa ſubigas, alterum Sale aſperſum, alterum minimè, videbis priorem leviorem eſſe, propterea quòd quantum humoris in eo pane, qui erat inſulſus, remanet, tantundem Sal ſuxerat à priore; quâ item Salis admiſtione ſubactus panis ſalubrior multóque ſuavior efficitur, neque ſinè fœnore id ſanè, nam quò plùs Salis pani admiſcetur (ſic enim ſubigi ſolet paſtoribus, & in agro laborantibus) eò minus panis comeditur, quòd appetitus Salis deguſtatu citiùs expleatur & ſaturetur, ut ſcilicet, cum ſumma guſtûs, atque appetitûs expletione per Salem, magnum ſequatur mortalibus compendium, quô fit, ut panis tametſi humanarum eſcarum habeatur præſtantiſſimus, at gravior ille tamen atque humidor longéque inſuavior remanet, absque Sale ſubactus.

Sed jam ad arbores Salis amicas revertamur, ſacra quidem Myrthus, olim

in

in Triumphis celeberrima Lauri æmula, maritimis, ſive ſalſuginoſis locis frequens innaſcitur, atque inter arbores mari proximas refertur (qua de cauſa olim à Poëtis Venerem ex ea ortam fuiſſe d cebatur) hæc certè maximam meretur æſtimationem, aut quòd ex ea Oleum & Vinum ſuccorum fœcundiſſimos, & ad voluptatem & delicias aptiſſimos elicere liceat, aut propter redundantiam medicamentorum, quæ ex ea ad deliniendà & à dolore levanda corpora à Medicis componuntur.

Ad hæc, ſtirpium ſive herbarum omnium longè dulciſſima Glycyrrhiza ſumpto à Græcis vocabulo occurrit, radice usque adeò dulci, ut hujus ſapore acutiùs quàm melle guſtus excitetur; Hæc autem omnium, quæ ad mare ſunt, proxima ferè habetur, jactu quippe lapidis remotè à mari alicubi enaſcitur; quam in Valentino agro mari finitimo, tribus millibus paſſuum ab urbe Valentia invenire eſt, propè Oppidulum, quod vocant Grau, quod aſſerto ibi mari adjacet, ubi ſtatio fit navibus, ſatis malefida:

ſida: atque ideo illud Graus quaſi gradus, impoſito à navigantibus nomine dicitur; propterea, quòd arena ibi aquis haud prominens, æquabiliter, quaſi per gradus deſcenſum efficit in profundum: indéque fit, ut commotâ procellâ ac tempeſtate, quandoque fiant naufragia.

Porrò Saccharum, quod ex mellitiſſimo atque omnium temperatiſſimo dulci conſtat, nónne calidioribus in Regionibus Auſtro præſertim expoſitis, ex mellis, ùt dicunt, arundinibus exprimitur, quæ planè in modum meſſis in geniculatum culmum eriguntur, nec alibi fœliciùs adoleſcunt, quam in agris maritimis, ubi aquâ & fimo columbino, qui ob maximam ſiccitatem propè ſalſus eſt, repaſtinari volunt; atque calidum & pingue Solum, quale eſt maritimum, deſiderant, quò meliùs à roriſero atque temperato marino aëre foveri poſſint, unde credibile eſt, maritimos agros, ubi Glycyrrhiza naſcitur, non ineptos eſſe ad proferendum ſaccharum, nè demum ſinè Sale fiat, quòd etiam ſtirpium nonnullæ ſint dulciſſimæ.

Insuper Oleæ, ut uberiores fructus ferant, salso, præcipuè marino loco gaudent, pinguiore enim ex hoc reficiuntur humore, nam & quæ procul à mari, atque in mediterraneis virescunt, in subsalso sabulosóque Solo oriri, ob ídque sufficienti pingui abundare comperimus; Quod in Valentino Regno mirabiliter evenire solet mari proximis, qui innatâ propè atque fertilissimâ salsugine imbuuntur, ac non solùm Olei exuperantiâ, sed omnium ferè fructuum varietate & excellentiâ præstant, ea enim salsuginoso illi Solo insita est vis pinguis à natura, ut oleæ singulis annis, modò adsit cœli pluvia, suo fructu exuberent. Quam olei ubertatem Sali unicè deberi, miro evidentissimóque experimento colligunt, cùm enim uberiorem fructum ex aliqua olea, aut ex universo oliveto cupiunt percipere, tertiam modioli Salis partem cujusque oleæ radicibus injiciunt, aut aquâ salsâ, quâ abundant (cùm solam pluvialem dulcem bibant) agrum irrigant, quo postea diligenter occato, ac pluviali aqua irrigato, condu-

pli-

plicatus inde fructus provenit; quo etiam experimento iidem uti solent in procreandis palmis, quibus idem ager refertissimus est, ac earum fructus copiosissimus: compertum enim fuit palmam anteà fertilissimam per quinquennium à fructu cessâsse, atque omninò ferè exaruisse: sed mox ad radices excavatam, injectis simul tribus Salis modiolis, ac deindè irrigatam, in pristinam fertilitatem fuisse restitutam;

At neque olei solummodò, sed frumenti etiam incredibilis ac nusquam alibi conspecta fertilitas in Scicilia provenit per Salem, experimento enim est comprobatum ex unico grano Hordei, aliquando quinquaginta sex spicarum manipulos fuisse collectos, iísque confricatis, octingentorum supra mille granorum numerum explevisse, quin etiam ibidem satum frumentum quinquagenos, sexagenósque fructus plerumque attulisse, centenos verò nonnunquam. Nec dubitandum est, parem inveniri posse fœcunditatem, ubicunque similis cœli, Solíque salsuginosi situs atque temperies conveniret.

At neque prætereunda eſt ſumma illa per Salem ubertas, quæ apud occidentales Indos comperta eſt, in permagna regione illa Peruza, in urbe Azua ulterioris Oceani, qui del Sur dicitur, quæ urbs, cum univerſo circum circa agro ſterilis eſt, ac neque pluviâ, neque fluviatili aquâ irrigatur, & quia maritima eſt, puteales duntaxat aquas habet ſalſugineas quodammodo, neque ſatìs ad bibendum gratas; unde cùm neque arbores, neque ſtirpes ſponte ullas terra ferat, neque culturæ omninò ſit apta, Piſcatoriam omnes exercent; & quoniam copioſiſſimo abundant Sale, captos certi generis piſciculos ſaliunt, quos magno ſibi uſu eſſe comperiuntur, ad ſerendum & colligendum Maizium vulgò dictum, quo unico aluntur terræ frumento; cùm enim terra ibi arida ſit, atque omninò ſabuloſa, remotis priùs arenis, latiſſimas in ea foveas efficiunt, in illiſque Maizium illud aëri exponunt tamdiu, quouſque humorem ſemen concipiat, ibíque ſingula Maizii grana, ſingulis ſalitorum piſciculorum capitibus in-

inclusa seminant, quæ occata, usque adeo tum impinguantis, tum maximê stercorantis vi, fit ut fructum afferant supra millesimum, ità, ut si rursum nuda grana severis, nullus ferè ex ipsis fructus enascatur.

Ad hæc inter alias Apulia Provincia, quæ maritima est, & salsuginosum Solum habet, alendis tamen pecoribus omnium Italiæ est longè fœcundissima; est enim summâ dignum admiratione, quòd cùm terra inibi levis ac sabulosa sit, ideóque ejus pascua haud frequenti, sed rarâ admodum ac perpusillâ herbâ virescant, quarum tamen parvam quantitatem illa ad nutritionem apta earum qualitas resarcit tantopere, ut propagando gregi sufficiant; tanta quippe herbulis illis inest vis, ut quamvis ex tenui, à salsugine tamen, cùm impinguato, tum ad excitandum pascendi appetitum optimè condito pastu, incredibilis ea pecudum multitudo crescat, quæ non modò Neapolitanis, sed Venetis, atque Illiricis populis sustentandis suppetat.

At neque nimis mirum est; quòd Sal tam pascuis, quàm pascentibus pecudibus tantam possit communicare crassitiem, cum & oleum, quod liquidorum habetur pinguissimum, in se contineat; hoc enim facilè est à Sale elicere, si bitumini admisceatur, nam sunt, qui verissimè asserant, tempore tepido ex mari illud quasi sudorem manare, ùt Aristoteles in Problematis: Quod facilè est Mare intuentibus conjicere, quippe cœruleus ille color obscurus, speciémque liquidi bituminis præseferens, tum & Marina ipsa infusa flammis exardescens, manifestè indicant, non modicam inesse mari per salsuginem Olei naturam, quæ cum Sale usque adeò convenit, ut oleo permistus Sal, illud adaugeat; quod non semel periclitatus sum, utpotè Lucernæ deficienti injecto Sale, tantundem luminis viguisse, quantum proportio additi Olei tulisset. Ad hæc Arrianus in Indica Historia refert, apud eos, qui piscibus aluntur, ad hos condiendos ex mari oleum elici solere;

Nec

Nec Sal, qui rebus omnibus tantæ fœcunditatis occasioni est, sibi ipse manet sterilis & infœcundus, nam proferens ex se oleum nullo certè jam poterit fertilitatis munere carere, sive luxum & suavitatem humanæ vitæ, sive omnium ferè medicamentorum usum spectes: in quibus & Sal & Oleum usque adeò præstant, súntque mortalibus utilia & necessaria, ut tanquam de præcipuis humani Victûs compendiis proverbii loco dici soleat: *Salem & Oleum coëmere oportere*; de quo postea latiùs.

Quare nec videri debet absurdum, quod alioqui sub inanis spei proverbio etiam usurpari solet, *Salem serere*: cùm rursùm ex sato ipso suus item fructus expectetur utcunque; nam inter alias Salis species, Sal nitrum de quo suprà, quod in cœmentis vetustis oritur, si detractum è terra, atque dissolutum aquâ, in cumulos terræ spargatur, non secùs ac sato tritico post quinquennium copiosior ex eo fructus redditur; quanquam quod attinet proverbium, non illud equidem dictum putarem ex eo, quòd

vana atque inutilis ſit cujusque rei, præſertim Salis, ſatio, ex qua nullus omnino fructus eſt oriturus, quàm quòd valdè ſupervacaneum & inane ſit, ubi tam frequens, atque ampla, terrâ maríque Salis ſponte naſcentis copia ac redundantia à natura ſuggeritur, illum ſerere.

Præthereà neque decet loca mari finitima, propter ſalſuginoſam viciniam, ùt dici ſolet, aſpernari, neque Salem accuſare, quod is cauſa ſit, ut illa varietate & frequentiâ ſtirpium minimè abundent, cùm hæc ſterilitas non ex Sale, fœliciſſimo ſtirpium adjutore, ſed aliundè contingat, mare enim non ſolùm fœcunditatem agris ſibi vicinis impertiri ſolet, verùm eorum etiam feracitatem adaugere, dum illos primùm humore ſuo impinguat, deinde aſtrictione, quâ multum valet, humorem cogit, majorémque hunc in eis reddit, dum vi ſuâ reprimit aquas, quæ ſubtus terras ex montibus ac locis mediterraneis in maritima derivantur. Quo fit, ut agri maritimi, paululum tamen à mari diſtantes, multò ampliore generoſioréque fru-

ctuum

ctuum varietate, quàm mediterranei circumfluant, ſed licet hæc ipſa loca mari propinqua nihil aliud ubertatis afferant, quàm fœcundiſſimi Salis eſſe feracia, nullâ profectò fertilitate vacare cenſenda ſunt: quandoquidem præſtantiſſimâ ille ſui copiâ mortalibus perneceſſariâ, longè quidem ſuperat ſtirpium omnium & uſum & utilitatem. Nam, ſi rerum neceſſitatem, aut exquiſitum luxum ſpectes, multò planè ſalubriùs, atque commodiùs Sale, ſive ſalſis, quàm multiplici ſtirpium fructu, mortales ſuſtentari poſſe comperies, cùm & iidem ipſi fructus, atque expreſſi ſucci Salem usque adeò expetant, ut plerique nullo ſuaviore neque ſalubriore condimento, quàm Sale guſtum & ſtomachum placare ſoleant.

Nullum enim eſt genus herbarum ſive pomorum, aut bellariorum, præſertim quæ ſapiunt acidum, quod tam crudum, quàm ſubcoctum Sale admiſto; nobis non ſit multò gratius multóque ſalubrius quàm inſulſum: Propterea, quòd acida Sale expurgari ſolent, nè

acerbitate ac immaturitate ſuâ, quam ex terræ nutritione concipiunt, cruditatem ventriculo inferant. Sunt etiam plerique fructus conſervare ſoliti, præſertim Cappares atque Olivæ, & ejusmodi, qui ob acerbitatem ſic ingrati ſunt atque inſuaves guſtui, ut edi non poſſint, qui tamen ſale & acetô conditi, & conſervantur incorrupti, & ad excitandum guſtum nobis apponuntur gratiſſimi; quin & mala Citria Cydoniáque, & Cucurbitæ aliáque id genus ex ſaccharo confecta Bellaria, nè partium tenuitate putreſcant, ſed quàm diutiſſimè incorrupta maneant, novem diebus ante confectionem in ſale & aqua retinentùr, ſícque ad confectionem præparantur. Quin imò, ut præſtò ſint quovis anni tempore ad ſui confectionem, in Sale etiam per annum conſervantur.

Ea enim vis Sali ineſt in conſervandis dulcibus, ut vel ipſa quidem ſpumea ſacchari recrementa, quæ vulgò appellant mellacia, dum è Valentino Regno longiſſimo tractu maris exportantur in

An-

Anglos & Belgas, à quibus magni habentur, Sale condiantur.

Non ergo audiendi ſunt Sali falſo imponentes, eum dulcium hoſtem ac conſumptorem eſſe, cum eorum potiùs conſervator ille ſit, atque omnium inter ſeſe ſaporum gratiſſimus conciliator. Cùm itáque Sal, & gignendis, & propagandis, & alendis, & ſanandis, & à corruptione ſervandis vegetabilibus, inventus à natura fuerit aptiſſimus, meritò eum celeberrimo titulo, condimentorum omnium nobiliſſimo, & vegetabilium omnium animâ inſigniemus.

Cap. XI.

De Maris Fœcunditatis Salutísque Cauſa.

Mare magnum ac propè immenſum, terríſque ferè omnibus adeò circumfuſum, ut earum non minùs longinquas, quàm ſibi proximas perpetuâ

tuâ ac æquabili propè irrigatione perfundat: nam etsi mediterraneæ aspectu atque confinio illius prohibentur provinciæ, eas tamen aut subtùs per illarum meatus & fistulas penetrans, continuis ac refluentibus (ùt quidam opinati sunt) imbuit humoribus, aut revera perennibus è mari vi Solis per exhalationem in sublime ductis liquoribus, indéque in universas mundi partes refusis, uberiores irrigatione suâ reddit; cujus etiam ubertatis causâ credendum est, ipsum à prima sua constitutione & ortu fuisse, utità dicam salsum, ejúsque salsuginis calorem, in tanta humoris luxurie, quasi in fertilissimo agro continuam procreandi vim mirabiliter exercuisse.

Sunt varia in mari animantia, nullo propè numero definita, terras incolentia, non tantùm multitudine atque mole, sed varietate formarum longè superantia, ut vera quidem fiat vulgi opinio, ùt inquit Plinius, quicquid in parte naturæ est, illa prætereáque multa alia, quæ nunquam visa sunt, in mari esse, ac etiam simulacra rerum omnium non

mo-

modò naturâ, ſed & arte confectarum; nec animalium duntaxat, ſed ſtirpium atque inanimatorum omnium, quæ alibi exiſtunt, in mari inveniri; cùm inter animalia maximè, quædam ſint, ritu & figurâ oris, & reliquis ferè corporis partibus ac lineamentis etiam vocetenus humanam formam præſeferentia, alia verò diverſorum quadrupedum, reptilium, atque volatilium, & quod magnam habet admirationem, aſtrorum cœleſtium ſpeciem, imaginémque ac vim quodammodo referentia, qualia de his, quæ vocantur ſtellæ marinæ, mirabiliter traduntnr; quæ tametſi figurâ parvâ admodùm, tereti, atque rotundâ ſunt, & in ſtellarum modum radiantia, tamen igneum adeò fervorem ipſis ineſſe ferunt, ut omnia in mari ſuo contactu adurant, omnem cibum ſtatim, aſſerente Plinio, conficiant.

Verùm tamen ingenii & quaſi ratiocinandi vis in piſcibus, majori facit eos admiratione dignos; quis enim Mugilis & Lupi inimicitas, mutuáque inter ſe odia, in tanta loci latitudine, atque

eorum

eorum vitæ jucunditate intuens non obstupescat? Quis rursùm Balenæ atque ductoris sui musculi concordiam, in tanta formæ diversitate ac differentia non admiretur? Quis non & Anthiæ, & mergorum ac poliporum aliorúmque piscium astus & versutias, tum temporum observationes, locorum pro tempore mutationes, tempestatum præsagitiones, propagandi curam, aliaque innumera, ac divina penè miracula, in mari licet salsuginoso conspecta, summo cum stupore perpendat?

Sed quid demum de stirpibus atque adumbratis earum fructibus? Sed quid de rerum arte factarum figuris & imaginibus, similibus hinc inde qualitatibus & affectibus proferam? neque quicquam in mari esse, aut enasci potest, quod non juxta suum genus vivat, vitam omni sanitate atque jucunditate perfectam, nam ea illicò senescere, aut ob summam & extremam ætatem interire, raro comperimus, cùm in ipsis vix levis quidem morbus, tantum abest, ut vel gravior, minùs autem pestis grasse-

tur;

tur; comprobante Proëmia (*nihil pisce sanius*)

Cùm igitur tam varia sint in mari animantia, quæ diuturnam, longævam ac valdè sanam cum fœcunditate vitam traducant, quorum etiam ova, quæ pisces, cùm genuerint, relinquunt, tum mirabiliter sustineantur, tum altrice fota salsugine, fœtus fundant fœcundissimos; ea quippè loci temperie salubríque maris salsugine fruuntur pisces, ut ab omni morborum genere hisce quasi antidotis eripiantur, facilè inde credi potest, tam ingentem aquæ molem, uno tantùm loco retentam atque cohibitam neque ullâ unquam novâ qualitate affectam, neque sapore aliô quàm salsô imbutam, haud aliunde quàm per salsuginem, manere semper & sanam, & incorruptam; etsi maris aquam inde sumptam & inclusam vasis, compertum est putrescere, id ex eo tantùm evenire dices, quòd agitatione & motu, ùt inquiunt ipsa prohibeatur; ac vel potiùs, quòd sicut membrum à suo toto atque animato corpore recisum, divulsámque pro-

tinùs corrumpitur, ità quidem illa à suo toto mari, veluti corpore salsugine animato separata, putrescat.

Nam & ipsi marinæ ea inest vis & natura, ut tametsi è mari separetur, cum aquis tamen dulcibus commista facilè possit illas incolumes conservare; id ex ipsismet putealibus aquis, quas malè olentes ac pravo aliquo sapore infectas, quartâ parte modioli Salis puteo injectâ solent expurgare, patet, quam quidem aquas sanandi vim non solùm naturâ, sed divinitùs etiam Sali impressam fuisse legimus, apud sacra Regum commentaria, utpote, dum Eliseus Propheta apud Hiericuntem Palostinæ urbem, fonti Salem immittens, pessimas & amaras illius Regionis aquas expurgavit; unde apertissimè constat, marinam salsuginem à terrestri esse longè diversam, & quoad virtutes & facultatem distinguendam, salsugo enim maris longè alia est atque longè differens à salsuginibus quæ in lacubus, quæque in fontibus & fluminibus reperiuntur; has enim superat Sal marinum tam saliendi vi, quàm & conservandi facultate.

CAP.

Cap. XII.

De Maris ſalſuginis cauſa ſecundùm diverſos Authores.

Nunc verò marinæ ſalſuginis cauſa, mihi ſe offert inquirenda; ſed quid adducere poſſum, inter tam diſſidentes inter ſeſe opiniones? Quidam enim, ut Empedocles eam ab amarulentis aduſtæ, & quaſi ſudantis terræ excrementis in mare excurrentibus derivant. Nonnulli, ùt Anaxagoras ab ardore Solis potiùs ſummas aquas adurente oriri ſentiunt: Alii verò Vulgares ab immerſis atque ſuccreſcentibus in mari Salis montibus; Plerique tandem, ut Platonici humore dulci à mari ejuſdem vi Solis in nubes ſublato, reliquum tanquam inutile, ac vile quoddam excrementum relinqui, talémque marinam ſalſuginem eſſe, opinantur. Sed quod gravius eſt, ipſemet Philoſophorum

rum Princeps Aristoteles, de ea differentia non minimam dubitandi, nè dicam aberrandi, occasionem nobis relinquit; nam humidam & siccam maris exhalationem salsedinis non parum secum afferentem, sursum à Sole attractam, atque in nubes concretam, rursùs per pluvias in mare decidentem, præcipuam hujus salsuginis causam esse affirmat, quæ profectò sententia, tametsi probabilibus, satísque apparentibus rationibus confirmetur, non tamen omninò poterit jam vera judicari; Hoc quidem perabsurdè dicitur, salsuginem ab amarulentis terræ adustæ excrementis in fundum maris profluentibus provenire; non enim terra, quæ majori ex parte mari circumfusa est, atque semper omnibus tam fluminibus, quàm cœli imbribus irrigata, adeò torreri sive aduri igne posset, ut fluentes per eam humores, perinde ac per cineres lixivium, salsi amaríque redderentur, nam experimento inventum fuit, aquas salsuginosis in locis præcipuè lacunosis consistentes, ac sive Solis ardore, sive ex sola natura salsas

aut

aut amaras redditas, has in profundam ſpecum perfluentes, guttatim deſtillare dulces.

Præterea illud fit minùs credibile, ut ab immerſis innaſcentibúsque mari Salis montibus, ſalſugo ità æquabilis atque ubique ſui ſimilis ſaporis ſuboriatur; neque enim tantum inde ſalſedinis deflueret, quantum immenſa adeóque ingens maris vaſtitas, tum & perennis dulciſſimorum imbrium atque fluminum in mare influxus, non vel potiori ex parte alteraret, vel omnino dilueret; nam ſi pauculâ aquâ multum Salem dilui videmus, quî quæſo, tam ingentes Salis montes mari poſſent aut ſuccreſcere, aut in eo permanere, quos immanis aquarum moles prorsùs non abſumeret, neque illorum ſaporem omnino dilueret, ſed perpetuò retineret; an non præponderante Salis gravitate fieret, ut contracta terreſtris illa ab imo orta ſalſugo, potiùs referretur in fundum maris, quàm in ſummum vi Solis attraheretur? Quod etiam multò aliter evenire compertum eſt, manifeſto quidem piſcatorũ

 & uri-

& urinatorum teſtimonio, qui in imo maris aquas dulces reperiri affirmant, indéque eas nullâ ſalſugine imbutas adducunt.

Neque verò id pugnat cum excellenti marinæ ſalſuginis natura; ſunt enim, qui non ineptè ſentiant, provenire ex eo, quòd mare in fundo minùs agitetur, ideóque tradior, immo nulla ferè ibi fiat ſalſuginis cum ſcaturientibus aquis commiſtio, vel potiùs, quòd vi Solis ſalſugo ab imis trahatur ad ſumma maris, ſícque facilè ſit aquas dulces in fundo manere, ac ſubinde tam pluvias, quàm fluviatiles aquas, quæ mare intrant, fortè ſubtilitate ſua ad ima defluentes cum ſcaturientibus commiſceri; Ad hæc neque veriſimile eſt, ab æſtu Solis tantas aquas, atque tot undique circumfuſa maria, uno & æquali ſapore imbui, non enim poſſent maria ad extrema orbis ſita parem ex æquo ſaporem cum eo mari, quod eſt ſub æquinoctio, concipere. Nam glacialis Oceanus Septentrioni ad perpendiculum expoſitus, qui, & ſalſiſſimus eſt, & ab ejuſmodi

Salis fonte, ùt volunt Sole, remotissimus, multò insulsior esset mari Indico, sive Athlantico, quæ propinquiùs Soli subjiciuntur, unde Nilus, qui sub brumali ferè orbe enascitur, atque inde permeans, sub æquatore ad solstitialem orbem usque, & ultrà subterfluit, in totámque ferè Africæ latitudinem se dimittens, in salsuginosa sæpè loca incidens, nonne à tanto Solis æstu salsissimus evaderet? at is cæteris mundi fluviis, & dulcissimis & purissimis præstat aquis;

Demum neque terra ipsa tam est perpetuis obnoxia ignibus, neque tam æquabili vibi vis torretur æstù, ut ab ea exustione tantus, támque amarulentus humor (sic vocant salsum) in mare decurreret, per quem universa maria, usque adeò ubique salsa fierent, sic enim terras, Æquatori aut Solis viæ subjectas, salsissimas, ab his autem longissimè distantes, insulsissimas diceremus, cùm tamen hæ feracissimæ sint, atque finitima ipsis maria salsissima, quin & enascentia ibi terrâ maríque animantia, non solùm multitudine ac varietate, verùm

& magnitudine & ſalubritate, omnium fœcundiſſima reperiantur, quibus ex cauſis in tam vario de hac ipſa ſalſugine opinionum diſſidio, quid pro certo ponendum ſit, atque ùt verius tenendum, prorsùs non video: Cùm (ut affirmare auſim) ſi univerſæ, quas recenſuimus opiniones, & cum his mille aliæ ex naturalibus ortæ cauſæ cohærerent, ut mare ſalſum facerent, falſum credo pro ſalſo efficerent.

Cap. XIII.

De Maris ſalſuginis vera Cauſa.

Maris Salſuginem ab eo ſeparabilem, inſeparabilémque, dixeris à prima illa mundi ac rerum procreatione clariſſimum ſuum ortum duxiſſe, eámque unà cum ipſo mari, à ſummo rerum opifice Deo, nullâ aliâ intercedente causâ procreatam, illíque permiſtam fu-

fuiſſe: atque ab ea etiam ſingularem illam tum ſanandi, tum propagandi, & à corruptione ſervandi facultatem, mare accepiſſe; Ac fieri quidem ipſam ad tantarum aquarum, cum infinitis aquatilibus conſervationem, non modò utiliſſimam, verùm ad navigandum etiam majoráque mortalium compendio ſupportanda maris onera, multò commodiorem, in quo planè aqua ſalſa dulci præſtat, cùm ſit illa quidem longè craſſior, ac proinde gravior & ponderoſior, ad ſuſtinendum, ad reſiſtendum, minúsque oneri ſuccumbendum; ex quibus liquet, nihil tam omninò falſum aſſeruiſſe, quàm puram maris ſalſuginem prorsùs inutilem eſſe mortalibus, ac neque animantium uſibus neceſſariam.

Cùm itaque nullum, ùt dixi, animal ſaniùs dici poſſit, quàm quod ad genituram promptiùs & alacriùs accedit, quódque tum in ea fœcundius eſt, tum vitâ præſtat diuturniore: neque ullum ſive terreſtre, ſive volatile perinde ſanum ac fœcundum appareat, ùt ſunt marina, omnium frequentiſſimum Salis uſum

habentia: restat ut Sali, & constantiorem Salutem, & diuturniorem vitam, & uberiorem rerum procreationem, magna quidem ex parte accepta concedamus; tantam enim vim, atque naturæ impetum Sal adhibet ad procreandum, ut & cunctarum animantium quasi Parens, atque fons appellari, & inter præcipuas genituræ causas, ut summa quædam illius occasio, jure ipso collocari possit; unde vulgatissimo illi Aristotelis dogmati, de Sole & Homine hominem generantibus: quo ille totum humanæ genituræ opus ad Solem & Hominem duntaxat refert, nos Salem addendum, mediúmque inter utrumque sic constituendum censemus, quòd Sol & Homo, propriæ præcipuæque sint humanæ procreationis causæ, altera universalis, Sol, altera proxima, Homo; media verò quædam ad generandum occasio; Sal. Ut demum neque sinè Sale fiat humana genitura, neque boni quidusquam natura proferat, quod non aut sit Sal, aut à Sale dimanet, atque per Salem constet, & perficiatur.

Cap:

Cap. XIV.

Quæ Loca Sale maximè abundant.

Iam verò, ſi ex his, quæ in univerſo celebriora Loca, quæ Salis feracitate redundant, vel ex viſu, vel ex fama & nomine, vel ob copiam, vel ob peculiarem Salis præſtantiam, ſingillatim enumerarem, nimis certè diffuſus eſſem: cùm igitur omnis Sal (ne ab illa diviſione diſcedam) à natura genitus, aut reperiatur extra terram, aut in terra inventus, aut cædatur in montibus, aut effodiatur è campis, aut ex eisdem, arenis quibus tegitur priùs remotis, eximatur, opere pretium eſt ea, quæ illuſtriora quæque celebriora ſunt, per orbem foſſilis Salis loca recenſere.

In Polonia celebriores, & valdè notæ ſunt Veliſſiæ & Bochniæ Salinæ, in ea Sarmatiæ parte, quæ hodie Polonia minor dicitur, non longè à Regia Urbe Cracovia, ubi ex profundis ſpecubus

inſtar magnorum lapidum Salis glebæ exciduntur, quæ ad eas circum circa Regiones abundè providendas ſufficiunt, & ob copiam, ob ſuavitatem, & ſaliendi vim, omnium foſſilium præcipuus ac vulgatiſſimus habetur, pro firmitate ſic edoletur, ut & varia rerum ſimulacra ex eo fiant. Habent etiam dictæ Salinæ, Salem ità pellucidum ſplendidúmque, ut nihil prorsùs à Criſtallo differat, Medici Salem Gemmæ hunc eſſe affirmant, ideóque cùm & compactior & æquabilior, & ſplendidior ſit cunctis Salibus, inter Sales Gemmæ is optimus ac præſtantiſſimus habetur, ei à Medicis Palma inter omnia Salis genera porrigitur.

Per mediterraneas Germaniæ Provincias, maximè verò Septentrionem versùs, campeſtris Sal foſſilis invenitur, in imis terræ locis & profundis ſpecubus inquiſitus, ídque propterea, quòd, ubi terra valdè frigida & humida eſt, ab ea quidem aëris intemperie fit, ut cùm foſſilis calidior ac ſiccior ſit aliis Salibus, non in montibus, qui frigore atque hu-

more

more perflabiles ſunt, ſed in profundis cavernis ab intemperie defenſis concreſcat, unde in montanis in hiſce Regionibus non niſi perpaucus reperitur, qua de cauſa Gallia, cujus Regio frigida eſt, & humida, Sale foſſili montano caret; Contra Hiſpaniam calidam & ſiccam, atque oppoſitu montium ab aquilone Solis ardoribus magìs expoſitam ad meridiem incolentes, foſſili montano, & alio quovis genere Salium circumfluunt: ideóque illius ſpecies ſive gradus, non aliunde, quàm ab ipſis terris, ubi foditur, ſive lacubus, unde exportatur, appellantur atque diſcernuntur;

Inprimis igitur inter alios totius Aſiæ montes Salis, præſtantiſſimus eſt Oromenus in India, ùt refert Plinius: Súntque ibidem plerique alii nativi Salis montes, ex quibus tanquam ex lapidicinis, Sal cæditur, continuò renaſcens, majúsque ex eo, ùt fertur, eſt Regium Vectigal, quàm ex auro & margaritis.

Cyrenaici etiam tractus, ùt idem Plinius, in Sitibus Africæ, Sale, dicto Am-

Ammoniaco ſub arenis reperto nobilitantur, quem Dioſcorides ad Medicinam, cæteris omnibus anteponit; Eſt enim usque adeò præſtans ad ſalutem, ut mirè carus habeatur Medicis, ob ídque ſæpiſſimè Cyprio & Corinthio, qui in Sicilia reperitur, quin & factitio valdè ſimilibus, alicubi adulterari ſolet, ſed qui verus eſt, atque à ſubdititio alienus, habet cruſtas oblongas inſtar lapidis ſpecularis, & in igne crepitat, & ab eo exilit; Adde, quòd in Mediterraneis Africæ, occidentem versùs, ſupercilium montis eſt (ùt teſtatur Herodoſis lib: 4.) itinere quidem dierum decem procurrens per medios Athlantes in mare, apud quos variæ ſunt Salium, perinde ac metallorum effoſſiones, ac non modò foſſilium, ſed etiam aquatilium Salium frequens eſt ibi uſus: ideóque incolæ vocantur Athlantes, id eſt Sales, neque enim eorum linguâ Athlantes aliud plane ſonat, quàm Sales; hæc ille.

Porrò, ùt aliqua Africæ loca, quæ Sale redundant, percurramus, à Cyrinaicis, non longè eſt ſinus Gerraicus, ubi

op-

oppidum, quod Gerra vocatur, turres habet ac muros etiam, ex Salis quadratis molibus, aquâ conglutinatis, sufficienti ad inhabitandum altitudine & amplitudine erectas; quam ædificandi opportunitatem faciliùs est invenire apud Ammanientes Gerraicis finitimos, qui domos Sale montibus suis exciso, ceu lapide construunt, ut jam inde Sal, cui tam mùlta de universa humani corporis salute ac conservatione debemus, sic aptetur ædificationi, ut nobis pro tecto quoque & muro sit, ac ab externa etiam injuria, utpote cœli pluvia, Solísque ardore, atque à bestiarum excursionibus, sub sua ipse nos umbra defendat.

Non de omnibus in Hispania renascentibus Salibus dicam, sed solùm de iis, quos scire non inutile erit.

Non modò comparandus cum omnibus Hispanicis Salibus, verùm universis omnino Salis generibus longè anteferendus est Sal, Egelastanus dictus, ab Egelasta insigni ac pervetusto oppido citerioris Hispaniæ, Conventûs olim Cartaginensis, atque in ea extrema ora

Regni Castellæ nunc sito, ad quod versùs ortum posita est Valentia, sub quo Egelastano agro magnus atque perpetuus erigitur mons, Sale non tantùm fossili, qui præcipuus in eo est, sed aquatili etiam, utroque perfectissimo redundans; ex cujus montis visceribus glebæ Salis, instar magnorum lapidum specularium exciduntur, tantâ firmitudine ac soliditate præstantes, ut edolari quidem, atque aptari ædificiis, & ex illis simulacra, variæque rerum formæ effingi possint;

Nec silentio prætereundum, quod de innata ejus facultate in condiendis carnibus & aliis esculentis refertur; utpote frustulum ejus Salis ferventi ollæ immissum, ac parvo post intervallo eductum, non plus minúsve condimenti pulmento inferre, quàm quod est opus, eodem ipso frustulo conservato, sapore etiam integro ad denuo condiendum remanente, quamobrem Egelastanus Sal, reliquos mundi Sales, & seipsum hac in re superat, & tanquam verissimam certissimámque instituti nostri metam

attin-

attingendam proponit, nempe, ut si sanitatem integram retinere cupimus, non plùs, minúsque Sali, sive salitis indulgeamus, quàm Egelastanus edocet in condiendo, qui postquam pulmentis vel ebullientibus, quantum satis est communicavit, manens quidem integer & concretus, continuò educi vult, nè modum salitura excedat; quibus de causis Egelastano Sali, palma inter omnia Salis genera negari non potest, cùm jam facto satis noto, nullus illo sit, neque ad medicinam salubrior, neque ad condiendum aptior, neque perspicuitate illustrior, neque redundantiâ demum affluentior. Quem, dum de omnibus mundi Salibus palmam tulisse intelleximus, nunc nobis de salibus fontanis restat dicendum.

Intermisso igitur fossili, rursùm qui extra terram nativus est Sal, aut reperitur in fontibus, aut in fluviis, aut in lacùnis, aut ad mare, itáque singula breviter persequar.

Fons omnis calidus salem fert, quoniam è nitrosis sulphureísve terræ venis

erum-

erumpit, quæ ſalſum ſaporem de quo di-
ctum eſt modò, continent, ut in balneis nativis experientia docet, qualia puteolis ſunt in Campania Italiæ; ſimiles etiam fontes ſunt apud Gallitios in Hiſpania, ad aquas calidas vulgò Epiſcopium Aurienſe, juxta fluvium Minimum, ſic ab ejusmodi fontibus, qui calidi & ſalſi oriuntur dictas, quin etiam Aquivaldenſes ſub conventu Terralonenſi extant iis ſimiles, ab eadem fontium qualitate nomen ſortiti, atque, ut reliquos prætermittamus, qui innumeri toto orbe reperiuntur, Aquisgrani nobiliſſima inferioris Germaniæ urbe, utì etiam in Auſtriæ inferiore quatuor Miliaribus Viennâ, calidi etiam fontes, ſalutares admodum ac pellucidi, ſcaturiunt, qui pulcherrimis excepti balneis, à ſulphurea ſalſugine fiunt omnibus valdè ſalubres, prosúntque ſummoperè ad varios è mortalium corporibus morbos depellendos atque ſanitatem revocandam. Ad hæc in ſinu maris Adriatici quà vergit ad Aquilonem, ſeptem ſunt fontes, uno excepto ſalſi, ùt teſtatur

Poly-

Polybius, quin variis in locis Puteos naturâ salsos passim videre est; nam Germania, ùt narrat Georgius Agricola, curiosissimus subterraneorum perscrutator, multis aquis salsis scatet, quarum aliquot fontes nobilibus oppidis decorat, ob id Luneburgum, Hallas, vocabulo à Græcis ducto, quasi Sales, incolæ vocant, ut Hallam Hermundurorum quæ est ad Salam fluvium & Sultzam non longè distantem, & Magdeburgum, Colberg, Hallam Inspruckensem, Hallam Sueviæ, quæ est ad Chocarum, cum plerisque aliis.

De Sale Puteali.

Sunt autem inter fontanos & fluviatiles Sales connumerandi puteales, ab educta salsa è puteis aqua, & in areas diffusa, quæ adveniente rore cœli condensatur, & in candidissimum Salem concrescit, ut in Volaterraneo Hetruriæ, ubi salsi putei extant, è quibus egesta salsa, & modis quibus dictum est condensata, Salem profert copiosissimum usque adeò, ut bona quidem Hetruriæ pars eo

 ala-

alatur, quippe hunc aureum planè diceres, si, quæ Duci Florentinorum, ejusdémque Hetruriæ Principi, quotannis appenduntur ex eo Sale tributa, ingentémque vim auri perpenderes, quam ille quotidie ex hisce puteis colligit, nam suprà triginta millia auri pondo singulis annis inde Ducis ærario accrescere dicuntur.

Sunt etiam ejusmodi aquæ salinantes in Scicilia, quæ similiter à puteis exhaustæ coguntur in Salem; sic apud Oscenses, in Terraconensi Provincia, non longè à Pyreneis montibus similes puteales salinæ sunt, quas vulgò vocant Nabalicas, in quibus ab educta salsa è puteis concrescens Sal, quasi purpureis Violis circumflorere videtur; non enim colore modò, sed odore etiam violaceo refertus est, atque aliorum quorumvis Salium, quibus abundant incolæ, suavissimus ac perfectissimus habetur: verúmtamen hi salsi fontes, maxima ex parte, aut ad putei modum sunt inclusi, ut semper aquarum copiam suppeditare possint, ità, ut excavatâ propè terrâ in fo-

foveas excipiatur ſalſa, indéque ſuâpte ſponte feratur in ſubjectas areas, aut reverà ſunt putei è profundo ſcaturientes.

De Sale Lacuſtri.

Porrò, poſt putealem, lacuſtre Sal ſequitur, qui à lacubus variê egeritur, & concreſcit, dum lacûs aqua in Salem mutatur, ardore Solis ſalſuginoſam terræ materiam ad ſaliendas aquas excitante; quorum eſt omnium Europæ celeberrimus in Apulia, Tarentinus dictus, à Tarento, urbe antiquiſſima in Italia, ſuprà modum inclyta, ob ejusmodi Salis copiam, qui tot innumerabilibus alendis pecudibus ſufficit, qui Sal ad uſus medicinæ, ùt inquit Plinius, ab antiquis maximè laudatur, neque tamen hodie ab ea ſingulari facultate degenerâſſe creditur, nam quod attinet ad guſtum, idem ſuaviſſimus omnium habetur; Agrigentinus quoque in Scicilia, qui raræ admodum ſubſtantiæ eſt Sal, ob idque neque in igne crepitat, neque exilit, tamen ignis patientiſſimum, ex aqua exilire Plinius aſſeverat, quem rursùm

in igne positum ait (quod mirum est) liquescere.

Vulgatissimus ejusdem Salis lacus, qui in Hispania in Valentino Regno non procul ab Illicitano Sinu situs est, sesqui miliari ferè à mari distans, inter quem Sinum & Cartaginem novam in Orcelitano Agro conspicitur latissimus, vulgò dictus de la Matta, apud quem frequentissimum fit Salis Emporium, extremis usque oris Europæ notissimum, nam concurrentibus in lacus tam cœli quàm fonticulorum aquis dulcibus, unà cum salsis, quæ passim sub lacu scaturiunt, iisdémque æstivo Sole siccatis tantus concrescit Sal, ut non modò vicinis populis sufficiat, verùm etiam ab extraneis onerariis navibus exportetur valdè longè, quippe non solùm in Italia, sed in Hollandia, Hamburgo, Pomerania, Prussia, Livonia, & Lithuania magno est usui, & in magna æstimatione.

De Sale Marino.

Jam verò à lacustri Sale ad marinum devenio, qui, juxta priorem divisionem co-

eorum Salium, qui extra terram fiunt, caput constituit, cujus diversæ sunt species, nam qui hos inter spontaneè gignitur, reliquis omnino Salibus est longè suavior, is autem concrescit, cùm mare fervens æstu spumas agit, eásque ad littora & scopulos appellit, quæ abscissæ, & in scopulos dimissæ, pro Solis, pro aëris atque loci vi, in candidissimum & electissimum Salem coguntur, tametsi, non omnibus in locis maritimis condensetur, propterea, quòd non ubique pro aëris atque Regionis temperie ejusmodi constipatio fiat, non enim in Regionibus, aut supra modum frigidis, aut vehementer calidis, sed à temperie ad calidum declinantibus, maximéque austro expositis concrescit id genus Salis, quod perflante austro, non tamen concrescente rore, miniméque Solis calore fit, sed aquilonis flatibus temperatæ Regionis calore moderatis densatur, ac copiosissimè efficitur, quem ipsum Dioscorides & Plinius spumam vocant, Gregorius Agricola Salem à marina spuma genitum rectiùs appellandum putat,

nec incongruè, utidem ait, Sal Virgo is dici posset, à flore tamen Salis, de quo postea, alienus est, quem etiam Medici juniores Salis spumam, quasi Poëticè videntur nominare, per id, Sal Maris intelligentes, atque inter omnia Salis genera hoc summoperè commendantes: quo Sale plura maritima Europæ loca abundant, maximè verò in citeriore Hispania, sub eodem Valentino Regno, juxta promontorium Ferrariæ, cui conjuncta sunt Diannium & Tetabicula antiquissima oppida, hoc ipso Sale redundantia; qui etiam concrescit apud finitimos ejus oræ Calpetanos ad Sifacæ promontorium, quod omnium Hispaniæ eminentissimum est, ac vehementer acuminatum, & quia longissimè Mari prominet, tutissima fit totius ejus oræ specula, ad cujus radices, qua ipsum continenti committitur, latissima est area multis Salinis circumfusa, nam excavatis ibi rupibus, prælongi canales excipiunt excrescentes maris fluctus, qui deinde in Patentes quasdam areas influunt, ubi marina cœlesti rore & aquilone flan-

flante concreta, id genus Salis emittit, quo utentibus Calpetanis in faliendis mox captis pifcibus, quorum in eo mari ampliffima eft captura, magna profectò fit, tam lucri, quàm pifcatorii nominis accefsio; propterea, quòd eo Sale faliti pifces & per univerfam inde oram, & ad mediterraneos transmifsi, recentibus non falitis multò gratiores fiant, cujusmodi etiam Salem frequentifsimum invenire eft ad proximum Portum Alonenfem, nec non ad Illicitanum Sinum Cadix, St: Lucar, St: Ubert in Lufitania, ac etiam Lisbona.

Cap. XV.

Quomodo omnes Sales, quòd Sales fint, cognofcantur, & qui præ cæteris eligendus?



Cùm igitur omnes Sales huc tendant maximè, ut verè fapiant,

neque ex aliis posſint qualitatibus, quòd Sales ſint, veriùs, quàm ex ſapore & guſtu judicari ac diſcerni, conſequitur, ipſas Salis ſpecies per majores vel minores ſaliendi gradus; ùt dicebamus, eſſe colligendas: eorúmque cauſas & effectus potiſsimùm referendos ad eam temperiem ſive impreſsionem, quæ fit pro Solis, pro Aëris, pro Roris, pro Aquæ, próque Soli, ac Loci qualitate, in quo Sales conficiuntur. Quare, omiſsis quæ de coloribus, déque odoribus ac lineamentis Salium, quæ à Medicis non ſinè aliqua ſalutis ratione, ùt ſupra de Ammoniaco, conſiderantur, illum in univerſum deſcribemus Salem, qui ex communi Medicorum ſententia omnium perfectiſsimus eligendus eſt, is autem eſt, qui candidus, qui pellucidus, qui denſus, atque, ut more quorundam dicam, inodorus, ac illapidoſus eſt, quíque æqualem & cum quadam veluti ſuavitate temperatam habet acrimoniam, & ob perſpicuitatem veram refert Cryſtallum; ut tandem Salium foſsilis ſit præſtantiſsimus, atque foſsilium, mon-

montanus excellentiſsimus: cùm in hunc, omnes perfecti Salis proprietates & affectiones mirè conveniant.

Foſsilis enim, quò ſiccior eſt, quò durior & minùs fragilis, ſed potius adſtringentior, fit ad ſaliendum utilior, nam quò ſiccior eſt Sal, eò magìs eſt ſalſus: Durus haud protinus conſumitur; Aſtringens ſubſtantiam rei ſalitæ contrahit, continet, neque dilabi permittit, ob ídque condiendis carnibus & piſcibus hoc genus Salis cunctis præfertur, atque præcipuè adhibetur; Eſt itaque Sali neceſſarium, verus ut ſit, atque perfectus, ut ex tam multis, has ſaltem innatas habeat qualitates actrices, nimirum ut admotus linguæ guſtuíque mordeat, excitet, ſiccet, aſtringat, contrahat, detergat, atque urat; Hæ quippe tanquam Principes, cæteras Salis facultates in ſe continent, à quibus tot innumerabiles Salis effectus promanârunt. Pro Empiricorum quoque & aliorum Medicorum applicatione & uſu, plures profectò ſunt Salis gradus, variæque tum ſaliendi, tum ſanandi rationes, quas

apud Dioſcoridem, Plinium, Galenum, Avicennam, Meſuem, alióſque præſtantiſsimos tam Medicos quàm Philoſophos, facile eſt diſcernere, atque illarum naturam quotóve gradu & ordine, aliæ aliis potiores ſint, ut Pharmacis & ſalubritati accommodentur perſpicere; quare de iis, quæ ad propoſitum meum attinent, ſatìs ſupérque (nî fallor) diſcurri, reliqua verò ad eoſdem Auctores referenda, ab eiſdémque petenda ſunt.

Tam multis igitur, tam variis, támque exquiſitis modis, univerſum animantium genus incitante naturâ ad inquirendum Salem, continuam ubique operam navavit; ut de univerſali fama tenuerit Heſiodus, eam non eſſe contemendam, propterea, quòd quædam Dei vox eſſe videretur: Ità vere credendum eſt, communem hanc omnibus Salis appetentiam, divinum quendam influxum eſſe, qui nos quidem in Salem tanquam in ſuaviſſimum ac utiliſſimum quoddam naturæ bonum promoveat, atque deducat; quodſi demum natura provida (quæ nihil agit

fru-

frustra) non solùm Mari, sed Terris omnibus, aut Salem, aut ejus materiam, aut saliendi artem communicavit, eadémque animantium gustatum sic finxit, ut despectis interdum cibis aliísque saporibus Salem illa expetant, ac neque respuant, neque aspernentur, omnino, non modò universo corpori, sed singulis membris salutem à Sale invehi, sciendum est. Ex quibus tota opera mea confirmata manet, nihil esse Sale humanis corporibus salubrius. Cùm itaque ex his, quæ hactenus de Sale dicta sunt, satìs supérque, nî fallor, demonstratum fuerit, nihil ubivis rerum esse, quod non mortalium usui suo utilissimo atque suavissimo Sale circumfluat: nihil, quod non per Salem tam animi quàm corporis palatum condiat, nihil denique, quod sinè Sale non æquè inane sit, ac insuetum: quid amplius dicendum superest, quàm, ut inchoato operi fastigium imponam? jam enim Sal consumpto stomachi humore, linguam prorsùs hærere fecit in sicco.

Sunt bona cuncta Deus toto quæ condidit orbe,
Utile Sole tamen nil magis atque Sale.
Phœbo cuncta vigent, radios jaculante caloris,
Occupat hæc illo summa cadente dies;
Balsamus ipse Salis tabem putredinis arcet,
Condîta asservans integra ritè diu,
Tandem quêis constant spatioso condita mundo
Ex tribus est unum Sal quoque principiis,
Ergo suum Sal quodque tenet, propriúmque liquorem
Balsameum, sese quo tueatur, habet.





